DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

*QUA*

# DUBIA VEXATA MATERIÆ MEDICÆ,

EXPONUNTUR,

QUAM,

PROPITIO NUMINE DIVINO

ET

*GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,*

PRÆSIDE

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD REIPUBL. NORIMBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

*FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,*

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

## *PRO GRADU DOCTORIS*

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis More Majorum Solenni obtinendis,

*Horis ante - & pomeridianis. d. Jun.* MDCCXIX.

Publicæ ventilationi submittet

**GODOFREDUS ENDELER,**

BIELEFELDA - WESTPHALUS.

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



# PROOEMIUM.



A Deo immenſa & ineffabilis eſt Dei ter optimi Maximi Benignitas ac Providentia, ut innumera Bona & Dona & quicquid creavit in ſolius hominis uſum & emolumentum direxerit; hinc totam œconomiam vaſti macrocoſmi tam indefiniti ſpatii cœlorum, quam diffuſi Geocoſmi cum admirando objectorum & ſubjectorum numero inſtruxit & exornavit & tunc denique hominem in hanc Omnipotentiæ, Sapientiæ & Clementiæ ſuæ Palæſtram introduxit, quo tanto apparatu atque eximia penu uberrime feliciſſimeque frui & in Deo perfecte beatus eſſe, proinde ſolum Deum, ſolum Sanctum, ſolum Dominum, perpetua gloria, obedientia & honore proſequi queat debeatque: Æterna enim eſt veritas, quam Divus *Jacobus cap. I. v. 5.* profitetur, *quod Deus affluenter det & non improperet:* In quem locum *Thomas Angelicus* apud *Cornelium à Lapide* ita commentatur: *Deus*

*dat liberaliter, non vendit sicut multi; dat generaliter, non uni sed omnibus; dat abundanter, non parcè; dat curialiter, quia non improperat:* Et *Philo à P. Velaz.* in *Psalm. 100. Annot. 24. n. 5.* inquit: *Illud quod dictum est; Deum esse sempiternum, idem est ac si diceretur largitor perpetuus ac benefaciens, non aliquando tantum, aliquando vero minime, sed semper, continuo ac indesinenter, dona donis jugiter ac indefesse accumulans, beneficia semper uberiora annectens.* Hujus & similis alterius effati testis evidens ac infallibilis est mundus visibilis, quem almus Creator tot bonis tot donis locupletavit, ita ut merito cum Psalmista 150. vers. 6. exclamemus: *Tota ipsa anima laudet Iah HalleluJah. Ita Jovis sunt omnia plena*, ut *Virgilii in Eclog. 3.* verbis utamur: Quemadmodum vero tam innumera dona Dei sunt, tum spiritualia & hæc quidem principaliora, tum terrena & temporalia, ita tamen ipse Sapientissimus Creator non singula unice, absolute & homini bona illa esse ordinavit, neque præcepit, quo singularibus talibus objectis & subjectis immediate & proxime utatur; quin rectius hæc omnia per gradus procedant, donec post multiplicem usum in hominem tota reliqua prævia utilitas concentretur: ita v. g. homo non tantum Solis & connexi caloris efficacia fruitur, sed & terra & bruta, quæ multis modis denique hominis utilitati inserviunt; quare non modo temerarium & imprudens, sed & impium conamen esset, dona Domini proxime ad se rapere velle, cujus indolis hominem *S. Augustinus Ep. 3. ad Joh. Comitem* cum inferno comparat, dum dicit: *Infernus quantos mortuos devoraverit, nunquam dicit satis est, sic & si omnes thesauri circumfluxerint in avarum, nunquam*

*satia-*

*ſatiabitur*, aut ut *S. Chryſoſtomus Homil. 29. in Matth.* dicit: *Talis in omnes ut mors inſilit, omnes ut infernus deglutit*: Talis eſt impia illa πλεονεξία, quando dona Domini communia aliis auferuntur & in proprium ſuum commodum convertuntur. Sed ne diutius in generali tali meditatione ſubſiſtamus, mox ad medicum ſcopum hæc applicabimus, quæ præmiſſa ſunt: Quod Benigniſſimus Creator & Medicinæ & Medici auctor ſit, non eſt, quo multis hoc loco probemus, id unicum tantum ſeligere & perpendere placet, quod Sapientiſſimus ille Creator eximium ſubjectorum naturalium numerum tanta efficacia inſtruxerit, ut ſub prudenti, ſcita & perita applicatione alterum alterius integritatem conſervet, ſublevet & confirmet, ſed propter ipſum hunc ineffabilem numerum, minime ſingulæ ſpecies proximam ſuam utilitatem uni ſoli ſubjecto communicant, ſed in eo & admirari & venerari debemus ſapientiam divinam, quod tam egregia harmonia in creaturis conſpici poſſit, dum ſubjecti integritas ſemper ad alterius conſervationem reſpiciat, donec in hoc circulo ultimus uſus terrenus in hominum tranſeat, è quo ſpiritualis ille uſus emergit, quod ſingulis hiſce bonis à Deo conceſſis homo in laudem & honorem ſui creatoris utatur: Sicut vero ſummus rerum humanarum arbiter hæc dona & bona ad uſus medicos apta & utilia, non modo ordine & loco juſto diſtribuit, ſed & ordinatis & limitatis viribus inſtruxit, ita confuſum opus eſſet extra hunc ordinem & præter intentionem ſummi Creatoris eadem commendare & applicare velle, quippe quæ inverſio ordinis divini non modo indoli & eſſentiæ rerum naturali repugnat,

ſed & omni vera benedictione divina deſtituitur, cum in quolibet negotio omnipotens Deus juſtum, pulchrum & perpetuum ordinem inſtituerit, quo reſpectu ipſa vita animalis nihil aliud eſt, quam egregius ille ordo motuum ad corruptibilis corporis conſervationem collineantium & pertingentium, aut juxta exquiſite medicum ſenſum conſervatio fragilis corporis per motus neceſſarios in ordine illo divinitus inſtituto ſatis ſimplici, efficaci & exacto acquiſita. Quotquot itaque ſubjectorum ſpecies in triplici famigerato illo Regno occurſant, tot non modo ex parte proximiores ſuas utilitates homini largiuntur, ſed & antequam illam ſalubritatem homini communicent, intermedia quadam via aliis ſpeciebus ſalubrem ſuam efficaciam exhibent, ut ita in ſingulis illis Subjectis & prudentia & ſelectu opus ſit, ut videlicet dijudicemus, quæ & qualia horum ſubjectorum & proximiorem & efficaciorem ſuam utilitatem corpori ſubminiſtrent: Sed heu! quam profanantur illæ divitiæ, dum ita inique applicantur! Unde ſub tanta copia rerum & materiarum, quæ vulgo ſtentoreis titulis & magnis & portenſis promiſſionibus ad forum medicum trahuntur, ſane eximia egeſtas atque ſplendida penuria invaluit: Et ſane non melius conſilium pro hac afflictione dare poſſumus, quam quod *S. Auguſtinus in Pſalm. 122.* chriſtianis ſuppeditavit: *Chriſtianus* dicit: *non debet abundare, ſed ſe pauperem debet agnoſcere & ſi habet divitias, ſcire debet, quia non ſunt illæ veræ divitiæ, ut alias deſideret: Qui enim divitias falſas deſiderat, veras non quærit, qui autem veras quærit, adhuc pauper eſt.* Illuxit & inclaruit hactenus in Medicina ſpecioſum promptuarium variarum materia-

rum

rum, quibus vulgo eximiæ virtutes medicæ imputantur, quæ ſingulæ, ſi certæ atque veræ eſſent, ex eo omnino Medicina ars artium nuncupari & declarari mereretur, quid quod rariſſime inde contingeret, ut homines ex ulla corporis ſui afflictione ſuccumbant: Quanta quanta vero talium materiarum farrago vulgo conſpicitur, tanta tamen in Medicina Practica adhuc eſt pompoſa penuria, ut multi viri boni & ingenui probe intelligant, non omne, quod ſplendet, aurum eſſe, neque decantatas illas eximias laudes tam promiſcue veritati reſpondere; quin potius hunc defectum deplorare ſciunt, quod in vulgari Materia Medica multa dubia, eximiæ incertitudines, magnæ æquivocationes, ſtupendæ ſuppoſitiones, ridiculæ phantaſiæ, imperfectæ commendationes, præcipitati commentarii, ſuperſtitiones, figmenta, credulitates, &c. occurrant: Cum itaque in tam celebri parte Medicinæ Practicæ tantæ lacunæ, tantique defectus obſerventur, ita quidem non unius hominis labor & capacitas eſt, quo huic morbo mederi & defectus illos ſupplere queat, quin potius hæc emendatio Deo & tempori committenda erit: Interim cum nobis hoc loco incumbat Inaugurali quodam Specimine utilem & dignam quandam tractationem medicam offerre, propterea auſi ſumus DUBIA VEXATA MATERIÆ MEDICÆ, quantum Diſſertationis terminus permittit indicare & explicare, & ita viam quaſi monſtrare, quomodo huic labi medela inveniri & applicari queat. Adſit huic propoſito Divina gratia, quo præſens labor in honorem Altiſſimi & Artis Medicæ utilitatem vergat.

§. I.

§. I.



Nexhausti naturæ fontes & scrinia ac Scrutina rerum *naturalium*, quantum vulgo ob *innumeram* suam copiam à *curiosis* & *operosis* ingeniis mirificis *laudibus* deprædicentur, sane in propatulo est; unde quorundam hominum animi in *vastum* hoc naturæ Regnum ita sunt *defixi* atque *immersi*, ut omnibus viribus in curiosas & admirandas considerationes atque meditationes contendant: Exinde oriuntur tot materiæ *disserendi*, *speculandi*, *admirandi*! Inde *uberrima* supellex atque *penus*, ut animus sæpe de *multitudine* subjectorum *gaudeat*, & *utilitatem*, proh dolor! *negligat*: Unde non *injustæ* illæ quæstiones & *hæsitationes* moventur & proponuntur, *cui usui*! Ubi *Ovidianum* illud resonat: *Nil nisi quod prodest carum est*. Sive *pretiosum quod utile*. Quare cum *Salviano in Præf. L. I. de Gubernat.* dicimus: *Utilia potius, quam plausibilia sectamur*, ubi *Vellejo* teste *Lib. II. c. 133. Tiberius utilia speciosis prætulit*. Idem certe judicandum est de *speciosa Materiæ Medicæ supellectile*, in quo sacrario *tanta farrago* occurrit, ut dignissimum & *felicissimum* se quisquam forte reputare posset, cui tale rerum naturalium Gazophylacium *intueri* contingit: Sed placet *alio oculo* in *curtam* hanc supellectilem introspicere & notare, quæ *dubia* in *Materia Medica* occurrunt, quæ nostram *spem* vexant & nostras divitias *depauperant*; unde evenit, ut, si cum hac *locupletissima* penu ad ipsum usum & *applicationem medicam* accedimus, tunc demum deprehendamus, quam *exiguus* adhuc sit numerus *certorum fidorum* & *probatorum* remediorum, quare merito cum *Seneca de Tranquill. c. 10.* Exclamamus: *Quæ sunt divitiæ, quas non egestas, fames & mendicitas à tergo sequatur*. Sed quo in hac tractatione *justo ordine* procedamus

mus, antea *titulum* præsentis Dissertationis breviter, at quantum sufficit, enucleabimus, ne mox in *limine* hæsitatio aut *æquivocatio* obtingat: Neminem sane, vel leviter de *re medica* instructum, latere potest, quod *Materia Medica* vulgo dicatur illud *promptuarium*, in quo *variæ* species, præcipue *simpliciores* adservantur, augmentantur & demonstrantur, quibus virtus *medica*, i. e. quæ corporis *humani* Conservationi & *utilitati* prospicit, adscribitur: Hinc constituit suppellectilem remediorum præcipuè *simplicium* numerosissimorum ex *Animali*, *Vegetabili* & *Minerali* penu & Regno collectorum, ex quibus ferme *nulla* species occurrit, *cui* non *virtus* quædam imputata observatur: Sub quo *splendido* & eximio *apparatu* interdum ipse *selectus difficilis* esse solet, quoniam hæ declamatæ *virtutes* ad minimum ex *aliqua parte* veræ esse creduntur: Hinc ille obtrectationes, si quisquam de *speciosis* illis elogiis *dubium* movere haud veretur, cur *Deus* has species *creaverit*? Non advertentes, quod *multæ* species non in *utilitatem*, sed in promeritam *pœnam* & castigationem creatæ & conservatæ sint! Neque dijudicantes, quod *copiosæ* species non in *immediatam*, sed mediatam & *successivam* utilitatem creatæ sint: *Alii* contra exclamant, *Deum* & *Naturam nihil fecisse frustra*, ergo *totam Materiam Medicam* esse *utilem*, neque de *encomiis* vulgatis *dubitandum*! Non observantes, quod *utilitas* talium subjectorum, in Materia Medica obviorum, *multiplex* sit & quod propterea minime *singulæ* ille species usibus *medicis* respondere debeant: Hinc iisdem ita *absolute* omnem virtutem non denegamus, illud tamen ex vero asserimus & defendimus, quod *paucissimæ* illarum specierum ita *absolute* & prout quidem merentur usibus Medicis quadrent atque respondeant: Quapropter *rectius* meretur dici quoad plurimam partem *Materia Physica*, quam *Medica*: Vocatur interea *Materia*, quasi per excellentiam, ac si constituat materiam & *instrumentum*, perquod medi-

cus suo *officio* fungi & *circa quod* occupatus esse debeat, quo *integritati* corporis humani *vivi* prospiciat.

§. II.

Alterum, quod ad præsentis thematis *titulum* explicandũ attinet, est, ut indicemus, quid in *præsenti* tractatione dubia *vexata* denotare & involvere debeant? Ubi mox citra ullam *tergiversationem* significamus, quod *jure* meritoque *dubitandum* sit de *veritate* & *certitudine encomiorum, commendationũ, laudationũ, adulationũ, virtutũ, qualitatũ* & *promissionũ*, in materia medica obviarũ & quod id tanto magis vexet & *lectorem* atque *spectatorem* ægre habeat, cum sub tam *specioso* & *pretioso apparatu* Materiæ Medicæ, tamen adhuc *dubitandi* ansa præbeatur, an hæc *splendida* suppellex *illos* etiam *usus* easdemque *utilitates* in arte *vere Medica* offerat & exhibeat & an non *plurima* farrago sit symbolum *vanæ pompæ*, sterilis *ostentationis* & deridendi *luxus*: Hac ratione sine ulla injuria Materiam *communem* Medicam cum *Scholastici illius Simocati* verbis in *Ep.* 37. compellamus: *Promittis multa & pauca præstas, atque linguam habes actione sublimiorem: At si verborum concinnitas apud te in admiratione est, pictores tua lingua præstantiores sunt, qui ea fingunt & exprimunt in tabulis, quæ efficere non potest.* Versantur itaque *hæc dubia* vexata circa multas *promissiones, laudes* & *commendationes*, quæ de *numerosissimis Materiæ Medicæ* subjectis proferuntur, quarum promissionum *vanitatem*, laudum *incertitudinem* & commendationum *iniquitatem* illa ostendunt, insuperque demonstrant, quod partim *tanto luxu* & apparatu *Medicina Practica* non indigeat, partim quod per *tantam* specierum *simplicium* copiam *hæc* magis offendatur & *confundatur*, cum verum sit proverbium, *Naturam paucis esse contentam*, neque tanto *fastu* & *luxurie* indigere: Ob id *Ciceronis* verbis utimur *V. Tuscul. Quæst. c.35. Aperta res est, quam paucis, parvis & vilibus natura egeat*: Et *Seneca Ep.* 17. dicit: *Natura minimum petit; naturæ autem sapiens se accom-*

*commodat*. Per *dubia* itaque *vexata* porro intelligimus, quando *attenti* medici posthabitis *credulitate*, *superstitione*, *præjudicio* autoritatis, nimiæ confidentiæ & diffidentiæ nec non vana *curiositate* & præcipitantia *prudenter* & *continenter* inquirunt an etiam *vulgares* commendationes & pollicitationes in *Materia Medica* obviæ *veritati* respondeant & ex quo *fundamento* eædem fluant, an circa collationem, *conciliationem*, comparationem & solidam *applicationem* ad corpus humanum *vivum* sana *ratio* adhibita fuerit, an porro *certa*, indubia, *sufficiens*, *fida* & *probata* experientia & *observatio* illas commendationes *comitetur* & tueatur, an non potius ex curis *fortuitis* & sanatione per *accidens*, è therapia *æquivoca*, è nimis *præcipitata* & *fugitiva* observatione aut ex *uno* & *altero* effectu (qui pro testimonio allegatur & æque *æquivocus* esse potest,) *communes* & quasi indubiæ illæ *virtutes* medicæ ortæ sint, ut dehinc non unus aut alter, sed *multi* tota sua spe & *fiducia* frustrentur, quando *tales* virtutes prosequuntur & imitantur, unde merito apud *peritos* & doctos dubium oritur, *an* etiam *Materia Medica* habeat, quo de *splendore* & apparente sua *felicitate* gaudere possit: An non potius *consultum* sit, quo posthabita communi *credulitate*, *securitate* & ipso etiam *otio*, omnes *vires* medici intendant, quo *defectum* hunc suppleant & sub benedictione divina *deperdita* rudera Materiæ Medicæ *emendare* & erigere laborent: ita sane non ulterius in rancidis & *vetustis fæcibus* hærebimus, neque in *vetitum* nitemur, sed adsistet potius *divina* benignitas, quo multa *dubia* solvantur, multæ *incertitudines* emendentur & ita magis magisque *veritates* medicæ inveniantur & commendentur: Quapropter nostri *præsentes* conatus erunt, ut non *dubia* quædam circa Materiam Medicam *moveamus*, neq; hanc cum iisdem *vexemus*, sed quo *monstremus avia* atq; defect9 & quo modo aliqua ratione huic deplorandæ *labi consuli* queat: In quo negotio tantũ tẽ-

 tabimus,

tabimus, quantum & præſens occaſio & vires noſtræ permittunt, licet tenuitatis noſtræ probe conſcii ſimus, propterea que de nobis minime omnem opem & perfectam medelam promittimus, ni *temeritatis* macula denigrari malimus, cum pro hoc ſtudio etiam aliorum *celebrium virorum* concurſus, *dexteritas*, *induſtria* & cooperatio requiratur.

§. III.

Sed dum *dubia vexata* in *Materia Medica* occurrere dicimus, mox ſubinde contra *infallibilitatem* hujus partis medicinæ *Practicæ* pugnamus, proptereaque ſequentes circumſtantias indicamus, quæ *occaſionem* præbent, cur *contra* Materiam Medicam *dubia* moveri queant: 1) commendantur quædam ſpecies, quæ plane *non probatæ* & expertæ ſunt, ſed de quibus tantum quædam virtutes *præſumuntur* & ſperantur. 2) Deprædicantur quorundam ſubjectorum *laudes* & qualitates *ſalutares*, quæ iterum *non expertæ* & *obſervatæ* ſunt, ſed quæ ex *præſuppoſitis* quibusdam aut ſeparatis & collectis illorum *principiis materialibus* creduntur & arguuntur, v. g. *quia* hoc ſubjectum *tali principio* præditum eſt, *ergo* tali *virtute* gaudet, ubi non raro error hæret in *veritate principii conſtitutivi*, ex eo non modo ſuppoſita efficacia *dubia*, ſed plane *falſa* eſt: 3) Decantantur quædam *laudes* Remediorum, quæ in *uno* aut altero tantum ſubjecto obſervatæ adeoque *minus ſufficienter* probatæ & confirmatæ ſunt, ſiquidem *crebrior* tantum uſus aliquam *certitudinem* & *veritatem* promittit. 4) Declamantur porro quædam *virtutes*, quæ ſubjecto *non competunt*, ſed *fortuitis* & *accidentalibus* effectibus & eventibus rectius adſcribendæ ſunt: 5) Deprædicantur in quibusdam ſubjectis *medicæ qualitates* communes & *univerſales*, quæ tamen cum *ſpecialiſſimis* & *individualibus* circumſtantiis *certorum* ſubjectorum ægrotantium cohærent, quæ propterea extra *ſpecialem* talem rationem veræ & *indubiæ haud* ſunt: 6) commemorantur quædam *qualitates medicæ*, quæ tamen ex *aliis effectibus* mu-

mutuatæ sunt, ita ut interdum *salutaris* quidam effectus contigerit, non ob *efficaciam illius* Remedii, sed ex *longa alia* causa & occasione. 7) Imputantur certis substantiis *utilitates medicæ*, cum rectius *utilis* effectus *naturæ* competat, quæ *salutari* conatu non modo *contra* præsentem *morbum*, sed & *contra incongruum Remedium* certat & *uno actu utrumque* hostem excutit. 8) Recensentur Remediorum *efficaciæ*, non ex *experientia* observatæ, sed ex *irrita* quadam analogia *coloris*, *figuræ* & *signaturæ* petitæ. 9) Enarrantur *virtutes medicæ* variorum subjectorum, quæ in animalibus *brutis utilia* deprehensa sunt, unde mox *applicatio* à *brutis* ad *hominem* instituitur: 10) *Laudantur* quædam subjecta quoad *certos* effectus, qui in corporibus *inanimatis salutares* fuerunt, unde frivole ab *inanimatis* ad *animata* saltus instituitur: 11) Proferuntur quædam *encomia* ex mera quadam *superstitione* de rebus *insolitis* sensibilitatique humanæ individuali *terribilibus*: 12) Recitantur laudes Remediorum, quæ ex *fabulis* atque *figmentis* præsuppositis ortum traxerunt, qualia à *veteribus* præcipue Philosophis & *anilibus* ingeniis inveniuntur & obtruduntur: 13) Allegantur *virtutes medicæ*, quæ imperfecta atque *ridicula* subjectorum *comparatione* nituntur: 14) Offeruntur elogia certarum specierum, quæ neque in *ratione*, neque in *experientia* fundata sunt, adeoque lepide tantum recensentur: 15) Proponuntur *commendationes* diversorum subjectorum, quæ ex *falsis hypothesibus* & opinionibus genitæ sunt: 16) Efferuntur & offeruntur quædam simplicia sub *universali* commendatione, quæ non nisi sub *certis præmissis præparationibus* in corpore ægrotantis institutis, utilia existunt: 17) Exhibentur pro usibus medicis subjecta *debilioris inertioris*, languidioris & magis *fatuæ* efficaciæ cum *præstantiora*, *nobiliora* & *efficaciora* prostent & constent: 18) Quædam subjecta mirificis & *prodigiosis laudibus* exornantur, quæ *plebejo* quodam more & modo ob *splendorem*,

*nitorem, colorem, raritatem, curiositatem* & *pretiosam* atque *speciosam* constitutionem æstimantur: 19) Exornantur eximiis sæpe *laudibus* subjecta quædam, quibus ex mera *præcipitantia* & *plebeja* petulantia *supra-naturales vires* imputantur, quæ proinde ex hoc capite *vanis* methodis applicantur, ut interdum tale *sterile* subjectum non propter imputatam *vim*, sed propter *imaginationem* & *persuasionem* individui auxilium & *opem* tulerit: 20) Commendantur quædam species ultra suam *sphæram* & *energiam*, quæ licet ad *particulares* usus non contemnendæ sint efficaciæ, tamen ob *insatiabilem* artificis animum mox ad *universales* usus feruntur. Missis pluribus adhuc *singularibus* circumstantiis, quæ *sufficientem* causam & occasionem præbent in *Materia Medica* dubitandi de *certitudine* & *veritate encomiorum*: Et id ipsum non modo *vexa* est huic, qui *dubitat*, quia *ipsi* interest, quo de talibus commendationibus *certus* sit, ne *decipiatur* & quia ipse in votis habet, quo *singulæ* illæ laudes *veritati* responderent: Sed *Vexa* est etiam pro *Materia Medica*, de qua dubitatur, cujus *idolum* ac *larva destruitur* & detrahitur, imo eo ipso ansa præbetur, ne imposterum *fumus* & *umbra* pro *materia*, sed res medica *certa, fida, probata* & *ingenua* vendatur, *commendetur* & applicetur.

§. IV.

Quamquam vero *plurimæ* species in Materia Medica ita *comparatæ* sunt, ut de illorum *communi* laude absque ulla *invidia*, aut contorto & iniquo respectu *dubia* moveri possint, tamen non *injustum* est *alterum* dubium, an videlicet *multarum* substantiarum *veræ* & certæ efficaciæ *inventæ*, detectæ & ad usus medicos rite applicatæ sint: Nos in *hac* consideratione merito *dubitandi* causam habemus, an non loco *inutilium* virtutum deprædicatarum, *utiles*, certæ & veræ *lateant*, aut obliteratæ & oblitæ sint: Et hujus dubitationis sequentia momenta aut rationes allegare lubet: *Primo* enim constat, quod *veterum* medicorum medicina *practica* magis

cir-

circa *ſimplicium* uſum occupata fuerit, proinde etiam conſtat, quod *priſcis* medicis ſatis ſæpe *periculoſi* morbi obtigerint, quidquod conſtat, quod ipſi ſub qualicunque *artis initio* & incremento non modo in *praxi* medica *infeliciores* haud fuerint, ſed in morbis *periculoſis* cum *ſimpliciſſima* ſua medendi methodo *feliciores* fuerint, ac *poſteri* eſſe ſolent: Quare *recentior* Medicina, quo magis à ſuis *miraculis* & ſpecioſis atque *artificioſis* compoſitionibus abſtinet & in *priſcorum* ſimplicitatem & ſinceritatem tranſit, eo *feliciores* progreſſus in *arte* Medica facit. *Secundo* notari & memori mente teneri debet, quod plurima Remedia, *vere utilia*, magis *inventionibus* & experimentis *veterum* medicorum debeantur, cum *poſteritas* poſthabita & *neglecta* ſæpe veterum *ſimplicitate* & ingenuitate magis ad *curioſa* & ſpecioſa *invenienda* vires applicaverit: Hinc *veteres* invenerunt & obſervarunt quod *utile* & *neceſſarium* eſt, *plurima* vero poſteritatis pars ad *ornamenta* auf neue Moden animum direxit: *Tertio* occurrunt *variæ* ſpecies quoad *principia* ſua *conſtitutiva* non vacuæ aut *ſteriles*, unde *phyſicè* efficaces, quarum ſubalternæ aut *vicariæ* virtutes *nondum* conſtant, quarum vero *efficacia* pro *ſanitate* tuenda & reſtauranda *explorari* poſſet, ſi *ſucceſſive* cū *temperantia* & *prudentia* adhibeantur, quæ contra, ſi *negliguntur*, *utilitate* etiam ſua deſtituuntur: In harum *applicatione* tamen a *curioſa* & *operoſa* illarum alteratione *chymica* abſtinendum eſſe, exiſtimamus, quia *maxime utilia* ſubjecta in *ſimplici* ordinatione & conditione proſunt: *Quarto* notiſſima res eſt, quomodo non raro *ſimpliciſſimi* homines, cum *ſimpliciſſimis* Herbulis, Radiculis &c. & ſimpliciſſimis *compoſitionibus miraculoſos* effectus *Deo benedicente* edant, quos experientiſſimi, doctiſſimi, acutiſſimi & *ſubtiliſſimi phyſici, chymici, botanici* & *medici* producere haud valuerunt; inde nonnunquam ſine omni merito atque culpa *feliciore* priores *medicaſtri* illicitarum artium, maxime

cri-

criminis *Magiæ* accuſantur & ut martyres ad rochum condemnantur. *Quinto* ſine dubio eſſe poteſt, quod in tam *eximio* numero ſubjectorum *ſimplicium* adhuc *plures* ſpecies occurrant, quæ magis *particulari* virtute præditæ exiſtunt, qua diverſis corporis humani afflictionibus ſubveniant, prout talium ſpecierum adhuc exiguæ cognitæ ſunt, quæ longe *minimis* & *pauciſſimis* morbis *ſpeciali* efficacia opem afferunt: Quotquot viciſſim *genericæ* & univerſales virtutes deprædicantur, illæ ſane ob *eundem* nimis *generalem* & adhuc ſæpe *ambiguum* effectum evileſcunt: Inde etiam *Sexto* fluit, ut, quo *minus* medici artifices vulgatis illis atque *ſpecioſis promiſſionibus* & commendationibus, in *Materia Medica* occurrentibus, *fidem* dant, ſed cum prudentia, *patientia* & conſtantia *ſimplices ſpecies* ad *ſimplices uſus* adhibent, eo *feliciores* & *ſalubriores* proceſſus & *progreſſus* in Materiæ Mediciæ ſtudio inveniant, eoque magis *confirmentur*, quod communes & *promiſcuæ* illæ laudes non ex omni parte *veritati* reſpondeant: Ob has rationes merito *dubium* illud inſeruimus, *annon* ſtudium Materiæ Medicæ magis *circa res inutiles* verſetur & *utiles* negligat, aut *an* non adhuc utiliores, vel plures *utiles* & probatæ atque fidæ efficaciæ ſpecies *invenire* queat, quam quidem *hactenus* in *communi*, Materiam Medicam tractandi methodo, factum fuit.

§. V.

Dum in exponendis *rationibus dubitandi* occupati ſumus, non poſſumus præterire illam *peculiarem* circumſtantiam, quæ *Materiam Medicam* admodum *dubiam* atque *incertam* reddidit, quando videlicet veterum *ſimplicior modus* commendandi *ſimplicia* loco *emendationis*, illuſtrationis, augmentationis & confirmationis magis *inverſus* & *implicatus* fuit: Etenim *antiquorum* ſolertia *eo* maxime tendebat, ut in *facto*, *effectu*, *uſu* & *obſervatione* certitudinem & *veritatem* aſſequatur, quo deinde eo feliciores & *certiores applicationes* ipſi inſtituere poſſint, de reliquo in *modo fiendi* & *operan-*

*perandi* non diu aut *anxie* operosi fuerunt, sed tantum ex *quatuor cardinalibus* qualitatibus *physicis* & diversis illarum *gradibus* theoriam suam Materiæ Medicæ consonam confecerunt, neque in *subtilioribus* & sublimioribus theorematibus conficiendis, inveniendis & stabiliendis occupati fuerunt, sed in confirmanda *veritate facti* & observandis atque annotandis *effectibus* majorem laborem impenderunt: Quam *ingenuam* veterum industriam eo magis commendat illa *circumspecta* Materiæ Medicæ tractatio, ut haud facile ex *unius* effectus observatione in *eximias* simplicium laudationes eruperint, sed cum prudentia, continentia & constantia *frequentiam* illorum effectuum expectaverint & *observaverint*: Posteaquam vero inter *posteros* hic *modus* Materiam Medicam tractandi eviluit & evanuit & *curiositas* & *subtilitas* in Theoria & Praxi animos hominum occupavit, tunc magis inclaruerunt certa *Theoremata* & certæ *Hypotheses* juxta quas Materia Medica *explicata* & *applicata* fuit; & dum sub tali *speculativo* labore *Observationes* Medico-Practicæ *negligentius* & incuriosius tractatæ, *Hypotheses* vero de *Particulis*, de *Salibus*, *Sulphuribus*, *Oleis*, ut & de *Fermentationibus*, *Acrimoniis*, potentiis mechanicis, *Fermentis* per species differentibus &c. magis assumtæ & propagatæ fuere, tunc auctoritas, veritas, sinceritas & *certitudo Materiæ Medicæ* claudicare cepit, ut sane verbis vix facile exprimi possit, quantum damni & detrimenti in hoc studio *phantasia*, præmatura curiositas & speciosa *theoria physica* intulerit: Haud vero ullo jure negari potest, quod *numerosissimi* Materiæ Medicæ *commentarii* & commendatores *prostent*, sed *notatu* digna est circumstantia, quod *tam cito* ejusmodi scripta *evilescant* & in horum locum *nova* desiderentur, præferantur & æstimentur. Ad minimum negari non potest, quod satis sæpe *imperfectæ* tales laudes atque *minus* approbatæ virtutes *sine* ullo *discrimine* propagentur & *transcribantur*, ut exinde facile colligere liceat, quod diversa subjecta in *re-*

*centi* commentario *repetita* laude exornata *ejusdem* valoris ſint ac certitudinis, qua *veritate* in præcedentibus commendationibus gaudent: In quo negotio admodum reprobanda eſt vulgaris *credulitas*, dum multi, citra inſtitutum *tentamen* & *examen* credunt quod Eccleſia credit & quod per *tot æva* ex *uno* commentario in *alterum* æquivocæ & *dubiæ* illæ laudes propagatæ conſpiciantur, cujus accuſationis *teſtimonia* facile ille reperire poterit, qui vel leviter ſcripta quædam Materiæ Medicæ, quæ inter poſteros lucem aſpexerunt, pervolvit, *conciliat* & dijudicat: Interdum evenit, ut quædam harum Materiæ Medicæ commendationum è prelo publici juris factæ, tanquam opus eximiæ & *indubiæ ſpei per initia* è Bibliopoliis cum maxima *voluptate* coëmantur, quæ vero poſt *aliquam* moram, ut *obſoletæ* & inutiles & pro cucullis & bolidibus conficiendis digna charta æſtimantur & contemnuntur.

§. VI.

Et ne copioſas aut *ſupervacaneas* dubitationes in *Materia Medica* inſtituere videamur, placet aliquot *exemplis* potiora dubiorum momenta explicare & confirmare: ita enim è magno numero Materiæ Medicæ *quædam* ſpecies ad *uſus medicos* commendantur, quæ *nunquam* legitime *expertæ* & probatæ ſunt, ſed quibus per *bonam opinionem* illæ virtutes attribuuntur: In hanc claſſem pertinent: *Radix Anchuſæ*, cui fruſtra virtus ad *diſſolvendum* ſanguinem congrumatum adſcribitur: Cujus *coſmetica* virtus æque nullibi probata eſt, ut ad *experientiam* ſolidam referri queat: Proinde *Radix Aſparagi* ſine ulla digna experientia ad *Hepatis* morbos commendatur, ubi *perſuaſio* illa prævaluit, quia hæc Radix *Aperitiva* creditur & traditur & quia *Hepati* variæ *obſtructiones* affinguntur, ergo ex hac *opinione* per bonam conſequentiam Radix illa Hepati ſubvenire debet: Ex quo vero & ſolido fundamento *Radix Bardanæ* ſanguinem *Congrumatum* reſolvat, *Podagram* & *Arthritidem* curet,

*Peſti-*

*Pestilentiam* tollat, nullibi sufficienter constat, idem etiam censendum est de *Radice Betonicæ*, illiusque virtute *antidotali*; de *Radice Borraginis*, illiusque virtute *antihypochondriaca & antimelancholica*, de *Radice C. B. Cervicariæ*, *Contrajervæ* & hujus virtute contra philtra; *Rad. Ebuli* hujusque efficacia contra *nimium mensium fluxum*, Rad. *Eryngii* ejusque virtute *Hepatica*, *Rad. Farfaræ* illiusque vi *Antiphthisica*; *Rad. Filicis* cum sua vi *Antisplenetica*, *Rad. Filipendulæ* &c. huc spectat *Cortex Avellanarum*, *Betulæ*, *Papaveris*, *Tiliæ*, *Ulmi*, cum suis laudibus: *Lignum Abietis*, *Ebeni*, *Roris marini*, *Flores Urticæ mortuæ*, *Lupuli*, *Fabarum*, *Nucis Iuglandis*, *Saxifragiæ*; *Cicer*, *Corna*, *Glandes*, *Castaneæ*, *Mala Persica*, *Melones*, *Cucurbitæ*. *Nuces Aquaticæ*, *Phaseoli*, *Sem. Acetosæ*, *Asparagi*, *Berberes*, *Bombacis*, *Cichorii*, *Ervi*, *Fraxini*, *Genistæ* &c. Ex Animalibus *Bombyces*, *Gryllus*, *Cimex*, *Eruca*, *Galerita*, *Locustæ*, *Motacilla*, *Passer Troglotydes*, *Hirundo &c.* & quot non species ex omni Regno numerari possent, quibus *singulis* tamen *certæ* laudes adscriptæ conspiciuntur & leguntur, quæ tamen singulæ *nulla experientia* nituntur, sed ut plurimum ex *frivola* opinione commendatæ deprehenduntur; quo loco vero illa *ulterior* experientiæ medicæ applicatio & propagatio erit curatius *discernenda*, quando in *aliquo* affectu *fidum* & *certum* quoddam Remedium constat & quando alii morbi inclarescunt, qui de *priori indole* participant, ut in *posteriori* hoc affectu æque secure remedium illud ordinari & probari queat, cujus *virtus* propterea in Medicina *Practica* ulterius *confirmari* & propagari potest, in qua *practica imitatione* & *applicatione* minime nuda opinio accusari debet, quasi tale Remedium deinde ex *opinione* ad ejusmodi affectus commendetur: Sed testantur hanc *rationalem experientiam* certitudo *effectus utilis* de tali remedio in *congeneri* alio affectu, deinde *prudens imitatio* & applicatio illius medicamenti ad *similes* circumstantias in alio quodam morbo & denique sedula & *sufficiens*

 *obser-*

*observatio*, quod nimirum & in quantum idem illud remedium *utrique* affectui conferat: Elegans specimen ejusmodi *Therapevticæ* imitationis & *applicationis* allegat *Excell. Stahlius in Opusc. Phys. Chym. Med. p. 576-579. 670-672.* ubi declaratur, qua *ratione* & occasione *Nitri usus* in *Petechiarum* & *Variolarum Diarrhœis salutaris* deprehensus fuerit.

§. VII.

Aliud momentum, quod ad dubia vexata Materiæ Medicæ spectat, est, quod *immaturæ* & *præmaturæ* conclusiones ex *præsuppositis principiis* ad affectus instituuntur, ubi denuo solida & sollicita *experientia* deficit; quando scilicet ex dogmatibus *Physicis* certis principiis *materialibus* certæ *efficaciæ* & certi *effectus* assignantur & quando porro *talia principia* constitutiva in certis *simplicium* speciebus vel *reperiuntur* vel *præsumuntur* & *supponuntur*, quare iisdem *juxta Hypothesin* tales effectus imputantur, ubi ad minimum *duplex* hoc speciale *dubium vexatum* in hac consideratione notari & dijudicari debet: *Primo* quod in *principiis corporum* agnoscendis & explicandis *Physici* valde *discrepent*, quare mox *unus* dicit huic speciei inesse principium *salinum*, *alter sulphureum*, unus *fixum*, alter *volatile*, unus *oleosum*, alter *resinosum*, unus *acidum*, alter *alcalinum*, unus *Sulphur fixum*, alter *sulphur vaperosum*, unus *acidum fixum*, alter *acidum volatile*, unus *sal volatile*, *simplex*, alter *sal volatile oleosum*, unus *sal acidum nitrosum*, alter *sal acidum Vitriolicum*, unus *sal alcali fixum*, alter *sal alcali volatile*, unus *sal tartareum*, alter *sal Saponarium*, unus *sal simplex*, alter *sal mixtum & neutrum*, unus *sal volatile sulphureum*, alter *sal volatile mercuriale* &c. Ubi cum *Æmilii Scauri* verbis exclamamus: *Utri creditis!* Et pertinet huc *Augustini Lib. de Singularitate Clericorum* dicterium: *Expedit magis timere, quam male fidere:* Quare *fide* & *vide!* Deinde possunt quidem *præsumta* & indicata *principia* in aliquo subjecto *adesse*, sed sub *alia mixtione*, ut propterea *diversitas mixtionis* juxta *Ca-*

*satum*

*ſatum Tract. de Igne* ad *diverſos effectus* contribuat: Unde v.g. *Purgantia* dicuntur continere *principia Salina acria ſtimulantia*, per quæ operari debent. Sed *Arum*, *Piper*, *Zedoaria*, *Contrajerva*, *Zingiber*, &c. etiam habent *ſal acre* & tamen *non purgant*, ut exinde *falſitas concluſionis* ex *falſis* aut minus *diſtinctis præmiſſis* facile liqueat: Hinc merito *dubitandum eſſe* indicamus & judicamus in Materia Medica de ejusmodi commendationibus, quæ ex ejusmodi *theorematibus* & aſſertis & præceptis fluunt, alias non modo gravis error *phyſicus*, ſed quod adhuc magis eſt, eximius error *medicus* committitur; v.g. ſi in Materia Medica hæc theſis ponitur, quæcunque ſubjecta gaudent *ſale volatili oleoſo*, illa proſunt in *Vertigine*, *Palpitatione Cordis*, *Scorbuto*, Cardialgia, Paſſione Hyſterica & Hypochondriaca, Epilepſia &c. atqui *Rad. zedoar. Angel. Valerian. Galang. Imperat. Serpentar. Virgin. Carlin. Petaſit. Saſſafr. Guajac. Aromata* &c. dicuntur *tali* ſale prædita eſſe, ergo in hiſce affectibus prodeſſe *debent*, ſed ut *plurimum* in hiſce affectibus *non* proſunt, ergo *fundamentum* totius concluſionis *falſum* eſſe debet: Etenim in tali argumentatione (quæ ſeſe in commendatione Materiæ Medicæ concentrat) *triplex* dubium occurrit: *Primo* præſupponitur certa *opinio* & *hypotheſis* de talibus *morbis*, ad quos ejusmodi ſpecies commendantur, quam *cauſalem* morborum explicationem facile quisquam in *dubium* vocare poteſt, ut exinde hæc *concluſio* formari poſſit, quia prædicti morbi non ex hac *cauſa* oriuntur, ergo Remedia, quæ *de ſale volatili oleoſo* conſtant, iisdem proficua eſſe *non poſſunt*: *Secundo affinguntur* interdum certis ſpeciebus, *certa principia*, ut ſi *cauſa* in morbis accuſata *vera* esſet, *principia* vero in Remediis *falſa* & *imaginaria* exiſtant, tunc iterum connexio & concluſio *fallat*: *Tertio* poſſunt etiam in certis ſpeciebus *plura* adeſſe principia, quæ ob *diverſitatem mixtionis*, aut *mixtum* aut *ſpecialem* effectum e-

dunt, ut propterea ex *falso Canone generalis* talis commendatio valde *dubia* evadat.

§. VIII.

Proxima animadversio, ex qua Materiæ Medicæ *dubia* quædam moveri possunt, est, quod nimis *præcipitatæ* & *prœmaturæ* laudes remediorum in illa perorentur, quando *semel* aut *bis* de quadam specie observatus est *peculiaris* quidam effectus, qui mox deinde pro *indubia* & probata applicatione commendatur, ubi merito dubitare licet, an æque ille annotatus effectus *remedio*, an vero *alteri* cuidam causæ *competat*; minime vero propterea convenit ita absolute *omnem* fidem denegare, aut ejusmodi remediorum species *penitus* & *indiscretim* contemnere, sed optandum esset, quo sedulæ *imitationes* instituantur, ut de *veritate utilitatis* in substrato remedio deprædicatæ *certitudo* acquiratur: & eo etiam hæc dubitatio applicanda est, quo à nimia *securitate* & *credulitate* præservemur & quo deinde ad aliqualem certitudinem & veritatem adspiremus, ita speramus, quod non parum Materia Medica emendanda sit: Quod vero diversæ simplicium species non modo *in genere* præmaturè commendentur, sed & quoad *speciales* virtutes ad medicos usus laudentur, facile demonstrari potest: Ubi brevitati studentes ad ipsam Materiam Medicam provocamus, cujus conciliationem quoad hanc præsentem animadversionem commendamus, in qua deprehendere licet, quomodo *numerosæ* species è *paucissimis* tantum *observationibus* deprædicentur, quo loco jure meritoque *negligentiam* in observando, imitando & applicando carpimus: *Absit* itaque à nobis longissimè asserere & temere differere, quasi propterea *omnes* tales insufficienter observati effectus falsi & frustranei essent, illud tantum innuimus, quod in ejusmodi laudibus *haud acquiescere* possimus, quare justum dubium superesse asseveramus circa veritatem *absolutarum* illarum commendationum: Ob id ingenua ingenia excitanda

da

da sunt, quo *solertes* & *prudentes imitationes* instituant & necessarias circumstantias in *morbo*, morbi *causa* & *subjecto* perlustrent, inprimis rationem *ætatis*, *sexus*, *temperamenti*, *nationis*, *diætæ*, *vitæ generis*, *sensibilitatis*, *consuetudinum* &c. exacte ponderent & applicent & ita observent, an tale remedium *frequentius* indicatum salutarem effectum præstiterit, quo *gradu*, quo *tempore*, quo *ordine*, in qua *forma*, quo *pondere*, sub qua *continuitate*, qua *variatione*, qua *constantia*, quo *valore* &c. id factum fuerit; imo confert annotare *statum* ægrotantis post adhibitum & exploratum tale remedium, an nihil *sinistri*, *suspecti* & *ambigui* remanserit, an etiam *laudatus* & nunc confirmatus effectus *securus* sit, alias quidem laudantur certa remedia ad certos morbos, quorum effectus tamen haud *bonæ* & *fidæ* indolis est, v. g. Rad. Symphiti Maj. commendatur ab uno & altero auctore ad Hæmoptysin, Phthisin, Podagram, Hæmorrhoides: Neque negamus, quod de præsenti hæc Radix illum effectum in prædictis affectibus edat, quem interdum artifex intendit, an vero hic effectus *adstrictorius* & repulsorius non *prava* consectaria intulerit, *majoris* momenti quæstio est: Et sane mirari subit, cur interdum tanta *securitas* & *incuriositas* hominum quorundam animos invadat, ut tantum in directione morborum de *præsenti* medicamentorum effectu *contenti* sint, neque de *futuro* successu *solliciti* deprehendantur: Hinc negari haud potest, quod singulares tales laudes simplicium circumvolent, quæ uno aut altero observato effectu nituntur, sed quæ *minus securam* utilitatem promittunt: Unde interdum artifices faciunt *apparenter* bonum quid, è quo tamen *novum* & *majus* malum emergit & sic itur in *circulum!* Sic ex uno morbi specie provenit alia: So behält der Medicus seine beständige Kund-Leute, & semper *novas* curationes instituit. Sed hæc methodus medendi est *iniqua*, unde Materia Medica *emendanda* erit.

§. IX.

§. IX.

Non minoris eſt momenti proxima conſideratio, quæ ad *dubia* contra *Materiam Medicam* formanda contribuit, quod nimirum de diverſis ſpeciebus in numerum *Remediorum* receptis variæ virtutes Medicæ allegentur & propagentur, quæ *ſpeciebus* illis minime adſcribendæ ſunt, ſed quæ *aliis adventitiis* cauſis annumerari debent, ita enim dantur *diverſæ* ſubjectorum ægrotantium *ſenſibilitates*, ſecundum *quas* ipſa *Remedia* cum efficacia & *effectibus* ſuis *variant*, qui tamen effectus deinde *Remedio* non adſcribendus, ſed *ſenſibilitati* ſubjecti adeoque *accidentali* & *individuali* cuidam circumſtantiæ: Ob id *otioſus* certe labor eſſet ejusmodi remedio *abſolutam* illam efficaciam & *virtutem* imputare velle: Illuſtrabimus hanc conſiderationem uno vel altero exemplo, ſunt aliqui, qui opio virtutem *diaphoreticam*, *expectorantem* & *nervinam* adſcribunt, quæ virtutes vero ita *ambiguæ* ſunt, ut ſi quis illas confidenter imitari vellet, in eximia *pericula* aliorum *vitæ* & ſuæ *famæ* incidat: Quod enim vim *diaphoreticam* concernit, tunc illa nonniſi in hominibus *ſenſibilibus* obſervatur, quæ tamen adeo *ſuſpecta eſt*, ut nihil *levaminis* inferat: Etenim ſi *ſulphureo-Vaporoſa* Opii ſubſtantia in hominibus *ſenſibilibus* vel *ſanguinei* vel *Cholerici* temperamenti intimiores *orgaſticas* commotiones in maſſa *ſanguinea* excitat, tunc illa ſucceſſive ſub *anxio* ſudore una cum humoribus *colliquativis* ſeroſis eliminatur: *Expectorans* virtus non niſi in *illo caſu* obſervatur, ubi *nimia* congeſtio pectoris aut *tuſſiculoſa* commotio neceſſariam expectorationem *turbat* atque impedit, ut adeo *poſitiva* & abſoluta illa vis *expectorans* opio *minime* inſit, ſed *alteri* cauſæ attribui debeat: *Nervina* denique efficacia eximiè *fallax* eſt, neque hoc nomine digna, quæ *tunc* obſervari poteſt, quando ob *nimios dolorificos* cruciatus vires valde *languent*, quæ viciſſim ſua ſponte *tunc* redeunt & *eriguntur*, quando *dolores* quantiſper *leniuntur*, demulcentur & *ſedantur*,

*tur*: Quo respectu & *lenientia*, *emollientia* & *temperantia nervina* vocari possent: Similia fata subeunt varia remedia alia, qualia vulgo virtuti *antifebrili* Halecum & Brassicæ Muriaticæ adsignantur: Ita enim interdum adsunt in ægrotante *ultimi* quidam conatus ad certos *salutares* effectus à *Naturæ* directorio pendentes, destinati, interea *alius* supervenit & remedium offert, quod *minime* ad eundem effectum vel *destinatum*, vel *proficuum* fuit, ex oblato tali *irrito* remedio Natura ad *ultimum* illum effectum pertingit atque properat, ut propterea *salutaris* hic actus non *remedio*, sed *alteri* cuidam causæ adscribendus sit: Tale exemplar occurrit, in remediis *Martialibus*, quibus nonnunquam *alvum aperiens*, alibi *emmenagoga* virtus adscribitur, quæ utraque tamen minime *remedio* competit, cujus *sola* virtus est ita dicta *adstringens* & licet quidam ex *Martis* usu *tales* effectus observasse testentur, *quales* cum *aperitiva* virtute conciliare possent, tamen frustra propterea *positiva* & ab adstrictione *distincta* virtus *aperitiva* eidem imputatur, cum quædam *apertiones* per nudam *adstrictionem*, sub *certis* circumstantiis succedentem, contingant: Et quid dicamus de magno *emmenagogorum* numero, quibus admodum *ambiguè* hæc qualitas tribuitur, quæ iisdem minime competit, & licet in Materia Medica *numerosissima* talia Menses pellentia & *promoventia* remedia prostent, tamen è *vulgaribus* speciebus, nulli hoc prædicatum *directe* & *positive* competit: Et si contingit, ut si *aliquando* ex usu ejusmodi remedii Menses *prorumpant*, tamen longe *numerosiores* casus recenseri possunt, in quibus remedia hujus præjudicati encomii *nullam* utilitatem attulerunt, ut exinde facile colligere liceat, quod *specialis* talis efficacia, quæ huic remedio imputatur, ex longe *alia causa* pendeat.

§. X.

Cum hac animadversione proxima disquisitio cohæret è qua Materiæ Medicæ *dubia* quædam moveri possunt,

D quan-

quando videlicet diversis speciebus *absolutæ* quædam virtutes & quasi *genericæ* qualitates imputantur, quæ tamen *specialissimis causis* & circumstantiis nituntur, ita ut si talia remedia in aliis subjectis extra harum circumstantiarum *concursum* adhibentur, contrarios plane effectus edant, adeoque *prior* commendatio dubia & contraria deprehendatur: v. g. quantus numerus remediorum *aperitivorum vulgarium* constat & prostat? Quæ si sub hac spe in illis casibus ubi *apertione* opus est, applicantur, loco *debitæ* reserationis, majores infarctus, *oppletiones*, stagnationes &c. causantur, quia potentioris & *impetuosioris* efficaciæ sunt, adeoque sub vehementiori *inturgefactione* humorum majores *oppilationes* inducunt atque fovent; quale quid in affectu *Hypochondriaco*, *Hepatico*, *Splenetico*, Mensium & Hæmorrhoidum obstructionibus, *Scirrhis sanguineis* experiri licet: Quidquod experientia testatur, quomodo *talia aperientia* pro scopo Menstruorum & Hæmorrhoidalium fluxuum *promovendorum* adhibita, tunc demum *firmiores* illorum occlusiones & *retentiones* excitaverint: Ita etiam sane satis copiosa remedia sanguinem *congrumatum resolventia* vulgo commendantur, quibus tamen hæc virtus *minime* competit, dum interdum hæc remedia adhibentur, ubi sanguis congrumatus *deest*, quando vero *actu* adesse præsumitur, tunc non juvant, nisi *tempestive* adhibeantur & regimen *diaphoreticum* subjungatur, in quo statu deinde *remedium* illud *non* juvat, sed *Regimen* sanguinem discutit & resolvit; quare hic effectus resolutorius per ejusmodi remedia etiam impetrari potest, quibus *vulgaris* illa virtus sanguinem congrumatum resolvens non imputatur: Unde vel *solo* tali *regimine*, *citra* illius remedii ordinationem, ille *dissolutorius* effectus interdum obtinetur: Contra vero si remedia *hujus* nominis in *Hypochondriacis*, *Melancholicis*, *Spleneticis* aut actualibus *internis stasibus* adhibentur, ubi congrumatus aut coagulatus talis sanguis *adest*, ibi laudes
&

& commendationes illæ *claudicant* atque delinquunt: Quot non porro *Cephalica* & *Spiritus* reficientia remedia recensentur & laudantur, quæ ſane peculiari & *ſpecioſo* hoc titulo *digna non* ſunt, cum illarum virtus Roborans in ſiniſtrum ſæpe effectum convertitur, unde multi conqueruntur, quod hoc aut illud *ſpecioſum* cephalicum pro *ſuo* capite ſit *nimis calidum* & quod propterea dolores & connexi *morbidi* effectus ex illorum uſu magis *exacerbentur*: Idem etiam valet de ſplendidis quibusdam *Cardiacis*, quibus ex mera quadam *opinione* ut plurimum hæc laus adſcribitur, quando præſumitur & *præſupponitur*, quod ad cordis *motum* efficacem *ſpiritus* contribuant; ſupponuntur vero ſpiritus *igneæ*, *calidæ volatilis* naturæ eſſe, unde *remedia calida*, acria, ſubtilia ad Spirituum *palingeneſiam* commendantur, quapropter talia remedia per bonam *conſequentiam hypotheticam* cordi prodeſſe *debent*, hinc Radices Anthoræ, Contrajervæ, Angelicæ, Imperatoriæ, zedoariæ, Herbæ ſubtiles & nervinæ, Aromata, Ambra, Camphora, Opobalſamum &c. pro Cardiacis declamantur, quæ tamen quam *caute* pro hoc *ſcopo* ordinari debeant & quam *ſæpe* in multis *ſenſibilibus* affectibus *ſiniſtre* operentur experientia abunde docet: Et quid dicamus de variis *Stomachicis*, *Bechicis*, *Hepaticis*, *Spleneticis*, *Hyſtericis*, *Nephriticis*, *Febrifugis* remediis, ex quibus *maximus* numerus hoc *nomine* & *omine* dignus *haud* eſt: Et ut modo de *Febrifugis* unum verbum ſeorſim adjiciamus, nonne *genericum* hoc prædicatum ſeſe ad ſpecialem *adſtrictionis* effectum extendit, ut propterea ſub eadem *infelici imitatione* communia Febrifuga, *alia* ſimplicia *Adſtringentia* ſint, quod valet de Radicibus Biſtortæ, Tormentillæ, Pentaphylli, Corticibus Fraxini, Quercus, quin ipſo plane Alumine: An vero talia remedia Febribus competant & *Febrifugorum* indiſcreto nomine ſalutari mereantur, dijudicet qui vult & qui poteſt.

§. XI.

Et id ipſum etiam eſt, quod in ulteriori nexu adhuc inculcari debet, dum nimirum ex hac porro conſideratione *Materia Medica* multis modis *dubia* vocari & demonſtrari poteſt, quando certis remediorum ſpeciebus *ſingulares virtutes* adſcribuntur, quæ non ſunt *in* illis, ſed extra illa, id eſt, quæ *aliis* effectibus adſcribi debent, ita ut in hoc ſtatu non *univoca*, ſed *æquivoca* commendatio accuſari poſſit; inde etiam evenit, cur talia remedia ita *raro* deprædicatum hunc effectum exhibeant: Pro illuſtratione hujus declarationis inſerviunt quædam exempla; v. g. laudantur quædam remedia, quod *ſpeciali* effectu *Exanthemata* diverſæ ſpeciei expellant, velut *Variolas* atque *Morbillos*, qui effectus tamen *raro* experientiæ reſpondet & ſi *aliquando* illorum remediorum uſum *efflore ſcentia* quædam ſequatur, haud tamen hic effectus & eventus *ſpecialiori* illi decantatæ *efficaciæ* imputandus, quam *generali Diaphoreticæ* cuidam qualitati adſcribendus eſt: Perinde fruſtraneum eſſet *Nitro* virtutem *Diaphoreticam* & quod magis eſt *Alexipharmacam* adſcribere velle, quia obſervationes conſtant, quomodo illius uſum *liberalior ſudatio* exceperit, quando videlicet antea *rigidiores ſpaſticæ* ſuperficiei ſtricturæ *neceſſariam* Diaphoreſin *impediverunt*, quales *conſtrictiones* vero per *Nitri* uſum *mitigatæ* fuerunt, ut impoſterum ob *recluſam* corporis peripheriam *Diaphoreſis* rite & legitimè decurrere potuerit: ſic error eſſet remediis *Adſtringentibus*, velut Biſtortæ, Tormentillæ & *Acidis* ſive Mineralibus ſive Vegetabilibus vim *Diaphoreticam* & *Alexipharmacam* & quidem hoc nomine *poſitive* dignam qualitatem adſignare velle, quoniam *ſpecialis* horum ſubjectorum efficacia eſt *incraſſans* & *inſpiſſans*, non vero *colliquans*, attenuans, *reſolvens* & *impellens*: Quando tamen ex uſu *talium* remediorum *Diaphoreſis* ſequitur, tunc longe *aliæ* circumſtantiæ *coincidunt*, quarum major & *dignior* ratio habenda eſt, quibus rectius

con-

*concursus* ad *Diaphoresin* accensendus est: Interea ex *communi* ferme suffragio tales species prædictis exornantur laudibus: simile exemplar occurrit in *Margaritis* aliisque *Gemmis*, nec non in *Auro*, quibus subjectis vulgo eximia virtus *Cordialis*, *Nervina* & *Roborans* imputatur, sed quæ certe *vana* deprehenditur *ab illis*, qui hisce *encomiis* non tam *promtam* & *firmam* fidem dant, si vero in *uno alterove* subjecto *talis* promissus effectus occurrit, tunc efficacia *remedio non* est assignanda, sed *aliis* quibusdam *intercurrentibus* circumstantiis: Quot non porro in *vulgari* catalogo Materiæ Medicæ commendantur species *sterilitati virili* oppositæ, quæ vero ut plurimum vel proximiorem *nutrientem* vel *Diureticam* efficaciam habent; quod si vero contigerit, ut sterilitatis præsentis causa neque in *defectu* necessarii *nutrimenti* neque in urinariis & connexis *spermaticis viis* hæreat, tunc *frustra* talia remedia pro sterilitate emendanda commendantur; interea vero ejusmodi remedia ita *genericè* ad talem usum ordinantur, quem si quisquam ita *indiscretim* experiri & *imitari* gestit, minime inde obtinebit & observabit *promissos* effectus, sed in *dubio* hærebit: Exinde hoc *monitum* fluere nobis videtur, ut pro evitanda omni *ambiguitate*, hæsitatione & dubitatione in commendatione *certarum* qualitatum de rebus simplicibus, *singulares* etiam illæ circumstantiæ annotentur & indicentur, ne imitatores è particulari ad universale concludant & ita in sua *spe* & fiducia *decipiantur*; exinde enim in totam Materiam Medicam *inevitabilis* & perpetuus redundat *error*: Denique huic animadversioni annumeramus vulgaria *Lithontryptica*, quorum effectus *longe alius* est, quam decantatus ille Calculum *Frangens* atque *Solvens*, sed tantum vel magis vel minus *Diureticus*, quo mediante *successive* incrementa Calculi *præoccupantur*: Ex eo judicamus *consultius* esse, si in affectibus calculosis bona *fide* præservatorio magis scopo ordinantur *temperatiora* Diuretica; & si deinde in Materia Medica Diuretica talia nominantur, ita fiet, ne artifices adeo *promiscue*

remedia, generalibus titulis exornata, arripiant & adhibeant.

§. XII.

Eximiæ dignitatis illa est consideratio, quæ ad Materiæ Medicæ *imperfectum* & *dubium* statum detegendum & indicandum inservit, quod nonnunquam certis remediorum *usibus* salutares quidam effectus *directe* & *positive* imputentur, qui rectius *Naturæ* singulari & *extraordinario directorio* adscribendi sunt: Non sermo nobis hoc loco est, quomodo *modus operandi* medicamentosus sive medicamentorum utplurimum *magis* in *Naturæ* activitate & *directione*, quam in nuda *physica* actione, reactione & *efficacia* inquiri & demonstrari queat debeatque; verius hoc ordine notamus & ex parte repetimus, cum in superioribus hujus circumstantiæ mentionem fecerimus, quod remedia quædam *alterius* cujusdam *medicæ* efficaciæ à *Natura* ad *speciales* salutares effectus *applicentur* & quod deinde nonnunquam remediis plane *noxiis* & *contrarii* effectus laudes quædam *medicæ* tribuantur, ubi effectus supervenientes vel *perfecte* salutares, vel *ex parte* tales magis *Naturæ* assignari debeant: Quod *primam* conditionem attinet, tunc constat quomodo nonnunquam *vomitoriis* & *purgantibus* virtus medica *Emmenagoga* accenseatur, aut quomodo emeticis efficacia *Partum difficilem*, *Secundinarum* & *Foetus Mortui* excretionem promovens tribuatur, cum tamen per *rationem* & *experientiam* constet, quomodo talium remediorum nulla *positiva*, directa, nedum quidem facile aut sæpe *secura* vis sit in loca *uterina*: Interea *interdum* contingit, ut Natura hanc *impetuosam* commotionem eo *applicet* & *dirigat*, ut denique ex utero *expellat*, quæ evacuanda aut extrudenda sunt: Hæc vero sunt talia remedia, quæ *directe* ad rem nihil faciunt: Ejusdem *census* atque valoris sunt remedia *derivantia* & *revellentia*, quæ nonnunquam ad *speciales* morborum curationes ordinantur, velut ad *Apoplexiam*, *Hemiplexiam*,

*Hemi-*

*Hemicraniam*, *Catarrhum suffocativum*, *Anginam*, *Phrenitiden*, *Maniam*, *Melancholiam*, *Affectum Spleneticum &c.* quæ vero *directe* ad *causam* morbi tollendam *nihil* contribuunt, sed quorum remediorum effectum deinde *Natura speciali* præsentis morbi *directione* excipit, ut salutaris eventus & effectus minime *priori* remedio, sed *Naturæ activitati* & regimini adscribi debeat: Quæ circumstantia propterea in Materiæ Medicæ commendatione probe notanda est, ne deinde talibus *universalibus* encomiis adeo *promiscue* fides tribuatur, inde enim evenit, ut deinde *sine* omni *judicio*, *methodo* & *opportunitate* ad præscriptos & indicatos morbos illa medicamina more *Empiricorum*, sine ulla *solida*, fida & secura *utilitate* ordinentur: Quod vero *alteram* conditionem attinet, tunc illa *deterioris* & *periculosioris* indolis est, de qua plebs in vernacula dicit: **Wer es ausstehen kan, dem mag es wohl helffen: Es kan es aber der zehende, ja der hunderste nicht ausstehen:** Aut alia loquendi formula: **Dieses oder jenes** Medicament **zu vertragen, gehöret eine Pferde-Natur dazu &c.** Proinde vana & profana est commendatio *Arsenici*, quod paroxysmum *Febris intermittentis* tollat, cujus effectus, quam *iniquus* & temerarius sit, conferatur *Exc. Stahlii observatio de Angiatro Febrifugo nequissimo* in *Opusc. Phys. Chym. Med.* obvia: Idem valet de usu Arsenici in *Asthmate*, de usu Arsenici cum Nitro fixati *Bezoardico* & in *Psora* commendato, de usu *Colocynthidis* ad *Mensium* & *Hæmorrhoidum* promotionem, de *Saturninorum* calcinatorum usu ad *Hecticam* & *Phthisin*, de *Refrigerantium* usu *Antifebrili*, de *Opiatorum* compositionibus & applicationibus ad *Febres Contagiosas*. Missis pluribus talibus observationibus, de quibus passim commendatæ Historiæ testimonium perhibent, ut non necesse ducamus, quo in specialem diffusam commemorationem descendamus: Suffecerit interea ipsam rem attigisse & indicasse: Minime vero vel ullus peritus & conscientiosus medicus temere ob *suffragium* valde *æquivoco-*

*rum*

*rum* talium eventuum *suam* medendi methodum in *aleam* aut in *casum* dare debet, quin probe obſervet, quod *ejusmodi* ſalutares effectus non modo *valde rari*, ſed & admodum *ſuſpecti* ſint, unde pro ſinceritate & *certitudine* Materiæ Medicæ militat, quo *ambigua* talia encomia omittantur, ne *credulus* ſuperveniens loco ejusdem *fortuitæ* ſalubritatis, peſſima *damna* atque extremam perniciem cauſetur: Talis enim remediorum commendatio deteſtandæ *temeritatis* in Medicina Practica cauſa evadit.

§. XIII.

Evidens porro error eſt, qui ad *dubia* juſta & valida contra *Materiam Medicam* invenienda & proponenda confert, quando *ſpecioſæ* & ſingulares remediorum laudes ex *externa materiali* ſimplicium conſtitutione & ſic dicta *ſignatura* aut *characteriſmo* excogitantur & ſignificantur; & hæc aſſimilatio extenditur ad *figuram* præcipue deinde etiam ad *colorem*, in qua inventione & *imaginatione* inter alios admodum ingenioſi & laborioſi fuerunt *Crollius* & *Carrichterus*, cum quibus *Cardilucius* conſentit; quaſi ſcilicet ſeſe ordo *divinitus* inſtitutus, quoad uſum *juvantium* & *nocentium* ad ejusmodi *ſignaturam* extendat, in qua theoria *eximia dubia* occurrunt, ſiquidem remedia talia non ex effectu & *experientia*, ſed ex *ſpeculatione*, *phantaſia* & *ſignatura* proficua eſſe *debent & dicuntur*, in quo negotio multum valet *uſus*, *luſus & abuſus phantaſiæ*: Ex hoc fonte & fundamento ad *capitis* morbos commendatur *Papaver*, *Nux juglans*, *Squilla*; ſed cur non omnia ſive majora ſive minora *rotunda* corpora? Ad *Capillorum* affectus laudatur *Lanugo Cydoniorum*, *Muſcus Arborum*, Adiantum &c. Sed eo ipſo ad illos affectus omnia illa ſubjecta conducere deberent, quotquot aliquid *piloſi* continent! Sic *Hepatica* Morbis Hepatis, *Alleluja* & Meliſſophillon *Cordis* affectibus, *Pulmonaria Pulmonum* affectibus, *Scolopendrium* & Lingua Cervina *Lienis* calamitatibus, *umbilicus*

*Vene-*

*Veneris Umbilici* damnis, *Cassia fistularis intestinorum* ægrotationibus, *Halicacabum*, Colutea &c. *Vesicæ* noxis, *Orchidum* Radices, Satyrium, Boletus Cervinus ad *testium* incommoda, *Portulaca* in *Renum* malis succurrere & opem afferre dicuntur; & quis *omnes* has vanitates *latius* enarrabit! Quantum vero & hæc & multa alia *suis laudibus* respondeant, *experientia*, non *præjudicans*, abunde docebit, ut clarum & perspicuum inde fiat, quam *steriles* promissiones *phantasia* in Materia *Medica* ferat & afferat: *Similis valoris* est signatura & convenientia *coloris*, quæ inter certa *subjecta externa* & diversos *morbos* atque *partes* intercedit: Ita ad *Hæmorrhagias* cohibendas laudatur propter coloris affinitatem *Hæmatites*, Anagallis purpurea, Geranium sanguinarium, Santalum rubrum, &c. Sed merito *dubitatur*, cur hæ species, *propterea*, quia *rubræ* sunt, sanguinis fluxum *refrænare* & non *impellere* debeant: Et *si* Hæmorrhagiam talem coërcent, sane *non propter* colorem id efficiunt: Ex *eadem* ratione subjecta *flava* ut Chelidonium, Crocus, Curcuma, Scarabæi flavi, Lapis in felle Bovis ad *Icterum* commendantur, quæ subjecta vero *quantum* & *qua ratione* in Ictero conferant, attenta experientia *aliter* docebit: Huc spectat commendatio *Coccionellarum* & Panni, colore *Carmesino* tincti *ad Cor roborandum* & diversos illius affectus, quia in illis subjectis color eleganter *rubicundus* eminet: Ita nonnulli *Rhabarbarum*, ut subjectum *flavum* ad *bilem* evacuandam extollunt, cum alia subjecta, quæ *non* sunt *flava* æque efficaciter *bilem* abstergant & alia quæ flava sunt, ut *Gummi Guttæ*, *aliis* quam biliosis humoribus educendis inserviant, ob id *talem* commendationem, quæ passim in Materia Medica occurrit & quam in variis exemplis & speciminibus demonstravi, omnino *dubiam* declaramus, cum *fundamentum* illud admodum *infirmum* sit, quasi juvantia & nocentia Deus quoad *convenientiam* & *differentiam figurarum* & *colorum* combinaverit: Quapropter in talium spe-

cierum utilitate adhuc solidior experientia desideratur & expectatur: Docebit dies, usus & attentio quam male hæc *signatura* satisfaciat *veritati*: Et id ipsum etiam omnes ingenuos animos allicere debet, ne in *externis* & *crassis* talibus qualitatibus hæreant, neve umbram captantes rem utilem perdant, aut credulitati & phantasiæ ludibrio se mancipent.

§. XIV.

Non leve porro momentum est, è quo *dubia* quædam *contra Materiam Medicam* moveri & pro *emendanda* diversa illius *fallacia* & incertitudine adhiberi possunt, quando nimirum variæ species simplicium *certis* laudibus exornantur, quæ *animalibus* brutis proficuæ esse deprehenduntur; inde *immaturæ* conclusiones ab animalibus brutis ad hominem instituuntur, cum tamen aperte constet, quod de ipsis illis speciebus non *sufficienter* experientia testetur, quod in hac aut alia *afflictione* brutorum *certum* talem *salutarem* effectum exhibeant; deinde magna *differentia* inter artem *veterinariam* & *Medicam*, quid quod hominũ *sensibilitas*, corporis *mixtio*, atque *œconomia* vitalis adhuc *particularibus* & *specificis* quibusdam rationibus *discrepat* ab animalium *reliquorum* constitutione: Ita v. g. vulgo commendatur à veteribus Semen & Radix *Graminis* ad *Hypochondriacum* affectum, ad *Hepatis* & *Lienis* morbos, ubi B. *Ettmüllerus* dicit: *Occasionem hujus effectus suggessit experientia in bobus, qui Hyemali tempore obstructioni folliculi Fellei, ductusque ejus Cystici* vel *à mucilagine viscosa, vel à concremento calculoso obnoxii sunt, ast Æstivo tempore esu Graminis iterum curantur: conf. Sylvius Prax. Med. Libr. I. c. 45. §. 13.* Et heu quam *alienum* est Radicem *Graminis* quinque *Aperientibus* Minoribus annumerare, cum inter *minimas* ne locum quidem obtineat: Ita etiam quidam *Hyoscia-mum* & *Cynoglossam* damnant & *aversantur*, & inter alia argumenta allegare sciunt, quod *bruta* etiam illorum comestio-

ſtionem *averſentur*: Similes laudes de Braſſica capitata *Guarinonius* profert; uti de Anſerina, Hirundinaria & quotquot de *animalibus* appellationem ſuam nactæ ſunt ſpecies, *ambiguæ* tales commendationes proſtant: Pari ratione *Antimonium* crudum vulgo pro Panacea diverſorum *brutorum* habetur, quam laudem aliqui in *hominibus* imitari audent, ſed certe ſub omni reliqua fiducia, non niſi *ſiniſtris* ſucceſſibus: Et quæ non ſtupendæ & ut vulgo ajunt *divinæ* laudes perorantur de diverſis ſpeciebus *Antidotalibus*, ut & de Contrayerva, Scorzonera, Serpentaria Virginiana, Salvia, Ruta, Biſtorta ſive ſerpentaria rubra, Bryonia ſive Colubrina, Ligno Colubrino & ſimilibus pluribus, quæ ex hactenus annotato *fundamento* paſſim commendata proſtant: Et cui non verſiculus *Salernitanæ* ſcholæ de *Salvia* & *Ruta* conſtat? Sed *quot* ſubjecta in caſu *neceſſitatis* hanc *tutelam* experta ſint, concilietur *attenta* & ab omni *credulitate* libera *experientia*: Sane in talibus commendationibus ut plurimum *hiſtoriolæ* quædam & *aniles fabulæ* hærent, ubi interdum quædam de *animalibus* recitantur, quibus minime tam promta fides adhibenda eſt: Quare præſtat in tali rerum medicarum dijudicatione *circumſpectionem* uſurpare & ab omni *præcipitantia* abſtinere, ſed eo ipſo aſſiduitatem adhibere, quo *irrita* & *inutilia* remedia, quæ *imperfectam* talem experientiam pro fundamento ſuo habent è *Materia Medica* repurgentur, ut ita *certa*, ſincera & fida *reliqua* auxilia emineant & *inclareſcant*: Difficile enim eſt ſub *tanto* numero ſimplicium ſubjectorum, quæ ſingula *medicamentorum* nomine ſalutantur, *vera* & idonea ſeligere.

§. XV.

Non parum ad diverſam Materiæ Medicæ *incertitudinem* agnoſcendam & ad *dubia* contra illam proferenda contribuit hæc circumſtantia, quod nonnunquam variis ſubjectis *medicæ* virtutes aſſignentur, quæ ex *relatione* ſive ſalubritate illorum ad *alia* & quidem *inanimata* corpo-

ra *mutuata* sunt, ubi evidenter *falsa* conclusio formatur, quia tale subjectum in hoc vel illo corpore *inanimato* effectum talem *utilem* præstat, ergo illud *eundem* effectum animato & *vivo* corpori perinde suppeditare *debet*. Ut hæc animadversio clarior fiat in exemplis cognitum est, quantis elogiis *Myrrha* vulgo exornetur, de qua inter alia *eximie* laudatur, quod efficacissime *putredini* resistat: Hanc laudem plurimi illo *documento* colorare sciunt, quia Myrrha corpora *mortua* admodum à putrefactione *præservat*, ita ut eadem *principale* subjectum constituat ad corporum *Balsamationem*: Inde mox applicatio instituitur in quocunque *morbo putredo* proximius imminet, in illo convenit *Myrrha*, atqui in *Febribus Putridis, Malignis, Inflammationibus, Gangræna, Obstructionibus &c.* ergo in iisdem propter hanc *consequentiam* Myrrha convenire *debet*; sed qui vel leviter *rationem* conciliat, facile perpendet, quod effectus Myrrhæ *putredinem* arcens in *inanimato* corpore non *conveniat* in *uno tertio* cum applicatione Myrrhæ intra corpus *vivum*: illic tantum *superficietenus* corpori adhibetur, hic *penetrat* in *humores*; illic operatur *per se*, hic operatur *sub concursu motuum* vitalium: Unde etiam *attenti* Practici bene sciunt, quam *diversos* & à *Conservatoria* sua qualitate alienos effectus in *illis morbis* Myrrha edat; quin potius experientia testatur, quod tunc *magis* corruptionem *invitet* aut *augeat*: Ex eo facile concludere licebit, quantum *compositionibus* illis Myrrhatis, Alexipharmicis & *Antidotalibus* & promissionibus *Paracelsisticis* de Myrrha fidendum sit: Pessime propterea commendatur in *Variolis*; & hæc ipsa quidem tum à *Paracelso*, tum ab *Helmontio* perorata virtus *Balsamica* Myrrhæ in corpore *vivo* omnino à solida & *circumspecta* experientia ut irrita & *aliena* declaratur: Ab *extra* vero & perinde *superficialiter* in certis casibus adhibita, paulo *magis balsamicam* suam vim exhibet: Idem etiam sentiendum est de *Oleis destillatis* Iuniperi,

ri, Therebinthinæ, Spicæ, nec non de Camphora, Opobalſamo, & Gummatibus acrioribus, quæ *putredini* opponuntur, rectius vero *extra* ſtatum vitalitatis, cum *confuſio* illa inter *animata* & *inanimata* non ſit admittenda, & diverſitas *eſſentialium* circumſtantiarum multam *diverſitatem* applicationis & effectus inculcet: Perinde fruſtra *Aloëticis* Remediis *Conſervatoria* efficacia in œconomia vitali accenſetur, licet *tantillum* conſervatorii effectus conferat ad corpora *inanimata* aut ubi *immediate* ad *actuales* corruptiones applicatur: Præterea ex *Helmontiana* chimæra *amaris* ſubjectis adſcribitur vis *Balſamica*, quæ corruptioni reſiſtere debet, quia juxta hanc traditionem *putredo* ponitur & ſupponitur in geneſi *Vermium*, vermibus vero reſiſtere amara dicuntur, ergo amara directe *conſervatoria* & *Balſamica* vi prædita eſſe, quidam judicant: ita *Spiritus vini* & *Lixivia* conſervant cadavera, ſed quis hanc conſervationem *phyſicam* confundat cum *vitali*: Quæ poſterior à priori multis modis diſcrepat: Ita *ſal commune* præſervat carnes *recentes* à repentina *putrefactione*, ſed quis illud hoc encomio ad uſus *medicos* commendet? Tradidimus vero hoc loco tantum aliquot ſpecimina malæ applicationis: Et ſane occurrent plura in Materia Medica, quæ propterea bene penſitanda, dijudicanda & *diſcernenda* erunt, ne *ejusmodi* encomiis & *promiſſionibus* tam *promtam* fidem largiamur: Et quis omnia illa, quæ in corpore inanimato Vermes enecant, ad corpus vivum applicet, cum etiam horum ſubjectorum occurrant *minus ſecuræ* ſpecies, quæ in corpore *exanimi* nullam *noxam* parere posſunt, quam circumſtantiam vero multi alto *ſilentio* & ferme conſtanti *oblivioni* conſecrant: Et quæ non miraculoſæ virtutes de *Mumia* ex eodem *fundamento* circumferuntur, quarum plurimæ in attenta & nihil *præjudicante* experientia à *veritate* diſcedunt: E quo reſpectu fluit illa neceſſaria cautela, ne *fugitivas* & præmaturas tales *compara-*

 *tiones*

*tiones* instituamus & pro *indubiis* assumamus, defendamus & propagemus.

§. XVI:

Non paucas incertitudines & fallacias in Materia Medica immiscent commendationes specierum quarundam *insolitarum* & *sensui* atque *æstimationi* individui *terribilium*, & *adversarum*, quæ propterea minime ita *indiscretim* ad usus *universales* afferri & obtrudi deberent; quin magis pro Materiæ Medicæ fama & *certitudine* militaret, si *exacte* illæ circumstantiæ recenseantur, quæ cum *salutari* talium subjectorum effectu *cohærent*: Quid ni vero propterea *dubia* moveri queant *contra vulgares* quasdam laudes, quæ in hac *Medicinæ* parte declamantur: Quæ non *superstitiosæ* tales virtutes de *Mandragora* & *Filici* vulgo circumferuntur, quam priorem agyrtis relinquit *Ludovici*: Quæ non venerationes de uno alteroque remedio excitantur inter *credulos*, quasi hoc aut aliud medicamentum olim huic vel alteri *Imperatori*, *Regi*, *Principi*, *Ducissæ*, *Comitissæ*, *Generosæ* & *Nobili familiæ*, *avo* & *proavo*, *aviæ* & *proaviæ*, *fratriæ* & *commatri* &c. arcanum fuerit: Quasi *Angelica*, quam per *Hyperbolicam* locutionem & exaggerationem *Tabernamontanus* Archangelicam vocat, ab *angelo* inventa & detecta sit, aut quasi lethifero illi angelo, *Pesti* videlicet adeo eximie resistere debeat: Quare tam *pomposa* nomina talibus speciebus imponuntur: Ejusdem census est *Carlina*, de qua superstitio valet, quasi angelus illam Carolo Magno in extrema Pestilentiæ necessitate obtulerit, inde ad morbos *pestilentiales* magno titulo commendatur, *quam* tamen, æque ac alias, similis indolis, species Antidotales non admodum extollit *Riverius*: Et quales non historiolæ de *Morsu diaboli* recensentur: Quæ non portentosa encomia gestat *Imperatoria*: Quæ non arcana de *Victoriali* & de *Vincetoxico* promittuntur: Ex eodem tono & fundamento *Araneus* paroxysmos *Febriles* tollere, Bufones *venenum*

ex-

extrahere, Cancri Fluviatiles Spiritus turbulentos, atque *Archæum iratum* compefcere, Axungia Canis *Phthifin*, *Hecticam*, *Podagram* &c. curare, Talpa, Mures, Eruca, Galerita, Hirundines, Paffer, Ranæ, Salamandra, Vulpes, Ufnea Cranii humani, & quot non plura ad diverfas afflictiones proficere debent: Et quibus non nominibus multiplices partes ex *Hominibus* felectæ proferuntur & laudantur, ut ferme *nullus morbus* reperiatur, cui non ipfum *corpus Hominis medica* quadam virtute refiftere dicitur? Hinc à *capite ad calcem usque* corpus Humanum laudatur: Sed *quanti* valoris omnes illæ *virtutes* fint, quæ in Materia Medica de *Homine* tam graviter & *honorifice* prædicantur, ipfa *experientia ingenua* & attenta abunde teftari poterit: Et ut tantum è multo partium numero *fanguinem* feligamus, de quo tam mira prædicantur, fane ipfe famofus medicorum *diffenfus* teftatur *incertitudinem* aut *æquivocationem* omnium encomiorum; quare multi reperiuntur, qui *famigeratas* tales laudes rotunde *negant*: Et heu! quam *latus* hic patet campus excurrendi in proponendis *parallelis* dubiis, cum frequens etiam *peritorum* virorũ *confenfus* nobis fucourrat: Et quid dicamus de *fpeciofis* illis *præparationibus*, uti ex *toto* Homine, ita præcipue ex *fanguine* Humano? Quid Spiritus, Salia volatilia, Tincturæ, Olea, Sulphura exinde operofe producta unquam veri, conftantis, frequentis, certi ac fatis fidi effectus præftiterint, confulenda erit *experientia*! Confulenda vero etiam erit *ratio*; Annon *fuperftitiones Paracelfifticæ* & *Helmontianæ* intercurrant: Et quæfo quodnam *genus hominum* talibus fpeciebus magis utitur, quam *Carnifices* illorumque *focii*, compatres & cooperatores, nec non *agyrtæ*, *Zigeuni*, *præftigiatores*, *pyrophagi*, thefaurorum occultorum *effoffores*, Feuer und Kröten-Speyer, Katzen-Freffer, Ratten- und Mäufefänger und die leichtgläubigen Weiber: Et fi uſlibi, fane hic *purgatorio* opus eft; quo *glaucomata* illa, quæ hominibus obducuntur & deinde

de in *Materiam Medicam* inseruntur, dispellantur: Et in hoc nævo non parca industria adhibenda est, quo Materia Medica emendetur.

§. XVII.

Haud obscuram, sed perquam *evidens* est *argumentum*, ex quo in variis subjectis & casibus *certitudo* Materiæ Medicæ infringi & *dubia* reddi potest, quando diversæ species simplicium ex mera quadam *fabula fundamenti* loco posita ad medicos usus commendantur, quæ *Historiolæ* sæpe ex schola & Historia Naturali *Pliniana*, *Æliana* & *Aristotelica* ortum suum trahunt: Siquidem facile liquet, quod ejusmodi traditiones fabulam & figmentum oleant: Res clarior erit in exemplis: Commendatur vulgo *Pinguedo Damarum* & *Serpentum* ad *vertiginem* debellendam; quid ita? Quia hæc animalia tam *acclivia*, alta, *sublimia* & *invia* loca adscendunt! Sed *firma ne* propterea erit *connexio* & conclusio, ergo *hæc animalia* non laborant *vertigine*! Ergone *Pinguedo* illorum *contra* Vertiginem juvat: Ergone *hæc* animalia *alias* qualitates non habent! Ergone hæc *Pinguedo alias* virtutes habebit! Ergone æque Pinguedo horum animalium eandem virtutem habet? &c. de Radice *Doronici* ita scribit *B. Ettmüllerus Germ.* **die Gemsen wurtzel: Schwindel-Kraut;** *prioris nominis appellationem plurimi ex traditione vulgari deducunt: Quoniam Rupicapræ* **die Gemsen**, *quæ sumitates montium, præcipue & Alpes adscendunt, ne à venatoribus ipsis insidiantibus capiantur, tumque rupibus Celsissimis se se dimittentes, ne Vertigine corripiantur, hujus Plantæ & Radicis esu tutæ putantur: Vid. Casp. Hoffmannus Lib. II. c. 4. p. 110.* **Schwindel-Kraut** *dicitur, quod pro vertiginis præservatione & curatione specificæ facit: Qua de causa eam quoque venatores usurpare solent: Unde & ipsi quoque funambuli* **die Sail-Tänzer**, *funem jam conscensuri & similes, hac Radice comesta, contra Vertiginem se præmunire dicuntur.* Conferatur etiam de hac traditione *Zornius in*

*Bo-*

*Botanologia Medica*: Ita etiam *Carlina* aliàs dicitur *Radix Apri*, quia Apri eâdem frequentius uti debent: Cum vero hæc animalia utplurimum in *firma* ſanitate & *eximio* robore deprehendantur, imo cum in ſylvis non niſi ſpecies *Alexipharmacas* comedere dicantur, ita varii concludunt, ergo *Carlina* eſt *Alexipharmaca*, ergo habet *roborantem* efficaciam, ergo *ſanitati tuendæ* ſatisfacit: Non quidem hoc loco ita ſimpliciter obloquimur huic efficaciæ medicæ, ſed tantum *fundamentum* hujus commendationis negamus: Et quid non de *Cervo* dicamus? *Totus Cervus* juxta communem traditionem *Alexipharmacus* vocatur, (*conf. Wormius in Muſeo & Caſp. Hoffmannus in Paralipomenis*) tum quia *optimas* Herbulas & Radiculas *Balſamicas* & *Alexipharmacas* comedere dicitur, tum quia traditur, quod cervus *reſpiratorio* ſuo halitu *ſerpentes* è ſuis cavernis *ſine* ullo *damno* protrahat: Sed utraque traditio nihil probat! Quis enim tam facile hisce *hiſtoriolis* fidem & *aſſenſum* dabit: De hoc aſſenſu *illuſtris Stahlius in Programmate de Criterio Experimentorum Medicorum* ita diſſerit: *Quod enim cervus narium halitu & quidem reſpiratorio, Serpentes è ſuis latebris protrahat & nihil inde damni, ſed potius multum emolumenti aſſequatur, rident hodie etiam omnes plebeji, nedum minus obeſæ naris homines, quid dicam ſolertiores: Venenum ullũ exiſtere, aut ſi quod etiam eſſet familiare illud & paſſim obviũ exiſtere, cui quidquã è cervo, verũ atq; conſpicuũ impedimẽtũ afferat, aut noxas ejus vel antevertat, vel corrigat, ego neminem adhuc audivi, cui compertum ſit: Interim jam ad Apophthegmata Medica recidit & axiomaticam exiſtimationem adeptum eſt aſſertum illud: Totum cervum eſſe Alexipharmacum*: Et ex quo *alio* quæſo *fundamento* quam ex *dubia* Hiſtoriola, aut rectius *fabula*, commendatur *Ungula Alcis* ut *Antiſpaſmodica* & *Antepileptica*: De qua *Crollius de ſignaturis internis rerum p. m. 44.* ita loquitur: *Ita contra Epilepſiam ſpecifice inſtar Amuleti conducit Alcis poſterioris pedis dextra Ungula, quam auriculæ ſiniſtræ ingruente paroxyſmo immittit, ſeque hoc pacto à paro-*



*xyſmo*

*xysmo liberat*: Si *vera* esset hæc *fabula*, ergone habebit illa *Ungula* hanc *virtutem* Antepilepticam? Conferatur prædictum *Programma Illustr. Stahlii*, in quo hæc verba etiam prostant: *Interim Ungula Alcis in tanta copia ad manus utique est, & tam justo sui merito, vili pretio, ut vel sola copia contemptum facere posset*: Ita etiam *communis* rerum usus testatur, quod subjecta *utilia* non ita *otiosa* lateant, neque ad *fastidium* venditoris *delitescant*: Gute Wahre wird gesucht: *conf. Wigandus Tract. de Alce p. 43.* qui perinde hanc historiam de Alce pro *fabulosa* declarat. Similis fabula & *fabulosa* commendatio de *Dictamno* prostat, quasi videlicet *Cervus* & *Capra* eodem utantur pro *inflicta* sagitta extrahenda, unde *vulnerarius* & *balsamicus* creditur: De *Hirundinaria Plinius* refert, quod Hirundines eandem pro *pullorum* suorum oculis *morbidis* usurpent, unde ad *alios* oculorum morbos eandem conducere Materia Medica testatur: *Conf. Rejes in Camp. Elys. Quæst. 3. p. 53.* Missis pluribus & similibus speciebus.

§. XVIII.

Ejusdem dignitatis atque tenoris sunt illæ laudes, quæ de variis subjectis prædicantur & ex *lepida* atque *petulanti* interdum *comparatione* mutuantur, deinde vero *ridiculo applicandi* modo ad usus *medicos* transferuntur; è qua consideratione vero satis evidentia dubia contra Materiæ Medicæ *veritatem* moveri possunt: Error maxime in eo hæret, ut è diversorum brutorum actionibus & *functionibus partium* singularium in brutis occurrentium, aut harum partium *singulari qualitate* & applicatione, mox transitus ad *hominis* diversas *functiones* alterandas, augendas vel imminuendas instituatur & usus *medicus* exinde excogitetur: Ita v. g. de *Cervo* dicitur, quod ad eximiam *longævitatem* pertingat, proinde vero asseritur, quod ad talem *longævitatem* & conjunctum robur atque agilitatem maximam partem contribuat *motus cordis*; in cervi corde reperitur

præ-

præterea *os* quoddam *tendinoso-cartilagineæ consistentiæ*, cui propterea virtus *Alexipharmaca*, *Cordialis*, *Roborans*, à *Malignitate* præservans & multa alia perperam imputatur: De quo *B. Ludovici in Pharm. Mod. Sec. accommod.* ubi de Diaphoreticis animalibus tractat, dicit: *Nec cartilago ista cordialis, Corallia, Ocul. Cancr. vel cornu cervi præparatum superat, in multis circumstantiis ne quidem æquat*: Licet subinde ex falsa & ridicula opinione huic ossi propterea *Diaphoreticam* virtutem quidam adscribere velint, quia in *corde* supponitur *Spirituum* maxime activorum palæstra, ut ita hoc os multos spiritus *impetum* facientes & *Diaphoresin* elicientes continere debeat: Sed quis non facile fabulam hanc perspicit & agnoscit: Unde verum etiam est judicium *B. Ettmülleri*, quando dicit: *Sed vana sunt ista singularia attributa, nata ex præconcepta hypothesi de cordis eminentia præ cæteris partibus & de radice vitæ in corde fundata*: Cur *Tali Leporis* ad *Epilepsiam* & *spasmos* commendantur, si non per hoc officulum lepores maxime flexiles, mobiles & agiles creduntur, ut propterea illud officulum rigorem spasmodicum tollere debeat: Cur *calculus* ex *Vesica humana* exemptus adversus *calculum* commendatur, nisi *vis vim* pellere debeat & huic subjecto ludicre aliqua efficacia imputetur, qua per *antipathiam* regenerationi calculi resistere debeat: Id quod etiam valet de *Sanguine* Hæmorrhagiis *nimiis* opponendo: Proinde *Pulmones Vulpis* ad *Phthisin* egregie commendantur, sed vix ex alio *fundamento*, nisi quod dicatur, vulpes *Phthisi* non corripi: Unde etiam hosce Pulmones è Pharmacia rejicit *Rivinus*, qui in sua *Censura Medicamentorum officinalium* recte dicit: *Si ventriculus ventriculum sanat, si jecur comestum in morbis Hepatis, si quid Pulmones valent in affectibus Pectoris, satius erit præparare illos in culina, quam in officina*: Cur *intestina Lupi* laudantur *ad Colicam?* Nisi hæc virtus ex eo præsumatur, quod *rapax* lupus *bene* concoquat, unde quidam colligunt, quasi *singu-*

*laris vis* ventriculo, inteſtinis & Hepati Lupi inſit, quæ ſimilium partium affectibus opem ferre queant: Quam lepide *Ciconia* adverſus *Vertiginem* commendatur, de qua *Crollius l.c.p.48.* dicit: *Siquidem Ciconiæ longo tempore in aëre in gyrum circumvolitare conſueverunt:* Ergo quidam concludunt quod non experiantur Vertiginem & contra Vertiginem juvent: Cur *Viperæ* & *Serpentes* ad *juventutem* reſtituendam, Alte Leute jung zu machen, aut ad *roborandam* ſenectutem commendantur, quia *exuvias* deponunt & *novam* pellem acquirunt: Cur *Inteſtinum* illud è quo Gallinæ *ova deponunt* ad *partum difficilem* & *ſterilitatem* fœminarum laudantur, quia Gallinæ tam *frequenter* & tam *facile* ova deponunt: Cur *Priapus Cervi & Tauri, Teſticuli Equi* & *Galli* ad excitandam *Venerem* & abigendam ſterilitatem allegantur? Reddit rationem *Crollius l. c. p. 46. quia horum animalium natura luxurioſa eſt:* Sed quæſo latet ne etiam vis *luxuriem* excitans in hiſce *exſiccis* & emarcidis partibus? Paulo majorem aſſenſum meretur obſervatio illa in qua mira *imaginationis* vis & efficacia eminet, quæ allegatur in *A.N.C. Dec. II. An. VI. obſ. 2. in App. ubi fœmina ex inaudito erga maritum defunctum amore, Membrum, quo Vir fuerat, nemine ſciente, ei abſcidit, cum cujus raſura Hyſtericam ſuam paſſionem efficaciter profligavit:* Cur *Splen Bovis* ut ſpecificum adverſus *Splenis* morbos offertur? Niſi traditio illa invaluerit, quod boves ob *ſplenem magnum* & communiter valde *ſanum* etiam mediante hac parte uſu & effectu quodam *medico homini* prodeſſe debeant! Cur *pellicula è ventriculo Galli concoctioni* roborandæ dicatur? Niſi conſtet, quod Galli Gallinacei *Lapillos* ingerant & ſine damno iterum dejiciant! Cur *Lumbrici Terreſtres* adverſus *impotentiam virilem* commendantur? Niſi *Glauberus in Pharm. Spagyr. p. 2. c. 1.* lepidam rationem proferat, quam ob modeſtiam & verecundiam ſilentio præterimus: Et quot non plures tales *aniles* comparationes paſſim occurrunt!

§. XIX.

§. XIX.

Tanto magis vero ad demonſtrandam *infirmitatem* & *incertitudinem* Materiæ Medicæ & ad *dubia* contra hanc proponenda inſervit hæc ulterior animadverſio, quod in eximio illo numero remediorum ad Materiam Medicam ſpectantium, variæ ſpecies recenſeantur, quæ neque in *ratione* neque in *experientia* ullo modo probatæ ſunt, ſed vano quodam more ac modo ita *promiſcue* ad *certos* uſus, tum *medicos*, tum *alios* commendantur: ut propterea tales virtutes & deprædicatæ qualitates minime omnium in *foro* & *uſu medico* tolerandæ, nedum quidem propagandæ ſint: Et harum quidem ſpecierum iterum minime exiguæ paſſim occurrunt, è quibus tantum aliquot enarrare lubet: v. g. ex quo *fundamento* quæſo commendat *Crollius* contra faſcinum *Herbas quasvis, quæ per ſciſſuram aut foramen ſaxi aut lapidis alicujus enaſcuntur?* Ubi *ratio*, ubi *experientia*! Quot non Herbæ vulgo contra incantamenta infantum recenſentur, quarum efficaciæ *nullibi* in experientia probatæ produci poſſunt & ubi ratio *penitus* deficit! quæ non miræ virtutes apud *Paracelſum*, *Helmontium*, *Staricium* alioſque de *Radice Carlinæ* commemorantur, quod videlicet ab *uno* geſtata *alterius* comitis & ſocii *vires* ſpoliare & in priorem *transferre* debeat: Quidam ad equos extendunt, ſi inter duos equos ſimul currui adfirmatos, uni hæc Radix *appenditur*, tunc hunc *majori* robore inſtrui, *alterum* vero *debilitari* & infirmari quidam tradunt: *Conf. A. N. C. Dec. II, Ann. I. Obſ. 160. Königii. Helmontius de Vulner. Magnet. Cura* §. 24. *Paracelſus de Carduo Angelico. Staricius* in Helden-Schatz. *Bonetus Medicin. Septentr. T. I. L. I. Sect. 15. c. 5. &c.* Ex quo fundamento commendatur *Aſtragalus Leporis* ad *Colicam* & *Partum difficilem?* Cur *criſta Galli* ad *difficilem* dentitionem & Ætites ad difficilem *partum* laudantur? Quis Lapidis *Bufonitis* virtutem *Alexipharmacam* & ſpecificam contra *Venena* demonſtrare poterit? Quis credat, quod *Alectorius* Lapis, qui in ventriculo Galli, inprimis

Caponis octo annorum reperiri debet, *venerem* excitet, in *ore* detentus *victoriam* conciliet, *constantiam* & *eloquentiam* huic, qui illum *gestat*, afferat, *sitim* extinguat, *cordis æstum* temperet, &c. de quo *Plinius L. 37. Hist. Nat. c. 10.* refert, quod alicui victoriam conciliaverit. Quis *Belemnites* vim *Antipleuriticam* & *Antinephriticam* confirmabit? Quis *Cardano* facile assentiat, quando mirum in modum *chrysoliti* vires extollit, quod *Epilepsiæ* & *Melancholiæ* medeatur, quod *Hæmorrhagias* sistat, libidinem extinguat, *Asthma* curet, *Sapientiam* conciliet, *dæmones* fuget, Animi *constantiam* afferat? Quanta est vis *Cordialis Granatorum* & quoties quæso *Melancholiam* curarunt? Quid juvat *Jaspis* in *Epilepsia* & *Calculo*, ad præcavendum *Abortum*, ad fugandas *Febres*, & curandum *Hydropem?* Quam *vana* est commendatio *Magnetis* & rationi & experientiæ contraria, quod ad tela *infixa* extrahenda inserviat? Cujus efficaciæ sunt famigerati nominis *Emplastra* illa *Magnetica?* Quam firma est *Dioscoridis* commendatio, quod *Magnes* sit *Melancholicorum* solatium? Quas certas virtutes habet lapis *Nephriticus* ad *positivam* & genuinam *calculi* curam? Cur splendidæ & nitentes *Gemmæ* inter *medicos* tam *obscuræ* sunt? Egregiis quidem exornantur *laudibus*, sed cur tam *raro* à *practicis* adhibentur? Sane si *communes* laudes ita *veræ* essent, non tam *infrequens* reperiretur illarum *ordinatio* in Scriptis doctorum & schedulis practicorum: Recte itaque prælaudatus *Rivinus l. c. cap. 5. §. 3.* dicit: *Nec injurius in Gemmas ero, si harum quoque facultates tanti non faciam, prout eas sibi plerique concipiunt; sunt enim & fragmenta lapidum pretiosorum non adeo pretiosa, sicuti recipiuntur in officinas, ut parum absit, quin Chrystallus atque Corallia præ illis magis arrideant.* Sicut vero hactenus tantum *aliquot* specimina produximus *talium* specierum, quæ in *quolibet* Regno ad usus *medicos* commendantur, sed in hac laude & *ratione* & *experientia* fida ac solida destitutæ sunt, ita solertes & ingenui investigatores in *omni Re-*

gno

*gno* plures tales ſpecies invenient & ſubinde obſervabunt, *quanta dubia* noſtram Materiam Medicam premant & *quanta cautela* opus ſit in *ſolida imitatione practica* inſtituenda, ne loco *ſperatæ* utilitatis & *ſalubritatis* omni noſtra fiducia & bona exiſtimatione deſtituamur.

§. XX.

Inter alias circumſtantias, quæ ad *incertitudinem* Materiæ Medicæ demonſtrandam & ad *dubia* contra illam movenda contribuunt, ſpectant illæ *imperfectæ* commendationes, quæ certis *opionibus* & *Hypotheſibus* de *morbis* & *remediis* diverſis foventur & pro *fundamento* quodam *indubio* proponuntur: Sed cum hypotheſis illa, quæ *canonis* loco eſſe debet, incerta & *imperfecta* ſit, ergo commendationes, quæ hiſce ſententiis ſuperſtructæ ſunt, non *ſemper* aut non ſatis *adæquate* certæ ſunt; ad minimum vel *hypotheſis* eſt falſa, vel *remedia* juxta illam *hypotheſin* nihil juvant: Et ad hanc Materiæ Medicæ dubiam commendationem præcipue multum contribuerunt ſententiæ medicorum de *effervescentiis*, diverſis *Salium* ſpeciebus & efficaciis, *fermentis*, imaginariis diſpoſitionibus corporis phyſico-mechanicis &c. quales ſunt opiniones *Sylvianæ*, *Williſianæ* & *Tachenianæ* aliæque: inde formantur *æquivocæ* illæ concluſiones, quia hic vel ille morbus, hac vel illa morbida *ſalſedinis* aut *fermenti* ſpecie nititur, proinde vero hoc vel illud remedium *contraria principia* continet, ergo *neceſſario* tale remedium morbum illum extinguere & ſuperare *debet*: Ubi *denuo duplex* hoc *juſtum dubium* contra *vulgarem* hunc *concludendi* & *connectendi* morem & modum communicamus & commendamus, *an* videlicet *opinio* illa de *morbo* indubia & *certa* ſit & ſi *hoc*, *an* etiam *principia* & efficacia tradita commemoratis *remediis* inexiſtat: v. g. ſi quidam juxta placita *Williſiana* aſſerunt *Epilepſiam* pendere à *turbulento* & impetuoſo *Spirituum* motu, unde pro morbi hujus cura conducere remedia Spirituum efferum & *excedentem* motum *figentia*, *ligantia* & *fugantia*, poſtea vero ordinan-

dinan-

dinantur *Acida, Castorina, Opiata, Adstringentia*, quis ita credulus erit, quo hæc pro *Antepilepticis* agnoscat & applicet: Quis credat, qnod *Ungula Alcis, Viscus Querni, Pæonia* &c. Spiritus figat? At quando juxta *Sylvium* asseritur, quod *Epilepsiæ* causa sit *Spiritus Acidus Volatilis*, qui Spiritus Animales dispergit & *perturbat*, unde in hoc affectu *Salia fixa*, & subjecta, quæ de *hoc Sale* participant, proficua esse; hinc Rutæ, Betonicæ, Polio montano, Anagallidi &c. Antepileptica virtus adscribitur; sed quæ ipsa vero valde *fallax* & *dubia* existit: Si diversorum morborum *Capitis* & *Pectoris* vapores è Ventriculo, Liene, Hypochondriis adscendentes, causa esse dicuntur & deinde *talia* remedia, quæ *vapores* coërcere & avertere debent, *Cephalica*, *Antiasthmatica*, &c. vocantur, nonne *utraque* sententia valde *dubia* erit: Huc spectant illæ *phantasiæ Helmontianæ*, quasi *sanguis* hominum *decollatorum* ob *Spiritus* extreme *angustos* & *depressos Epilepsiæ* subveniat, in qua *Archæus* valde *commotus, iratus* & impetuosus est; ut ita *priores anxii* Spiritus, posteriores *valde rebelles compescant* aut temperent: Vel quando *sanguinem Leporis* quidam *ex eodem fundamento* ad *Epilepsiam, Dysenteriam* & *Erysipelas* laudant, ubi *Helmontius dicit in Tract. Potest. Medicam.* quod *idea pavoris, sanguini Leporis in fuga impressa* hos morbos curet: Idem valet de *Cordis Leporini* efficacia contra *Febrem Quartanam*, de *Usneæ vi Antepileptica, Antispasmodica* & *Sympathetica*, de *Cerebri Humani* efficacia specifica *Antapoplectica* & *Antepileptica*: Spectant huc sententiæ de *Acido Hypochondriacorum, Podagricorum, Arthriticorum, Nephriticorum*, cui opponuntur remedia, quæ hoc *Sal* vel *absorbent* vel *resolvunt*, ut Salia *Volatilia, Lumbrici Terrestres, Emollientia*, quæ *mucilagine* sua acidum illud dirum & terribile *obtundunt* ac *leniunt*: Quidni sterilis fuerit illa opinio de *Spiritibus*, qua *multæ* commendationes in *Materia Medica* obviæ nituntur: Ex eo fundamento laudatur *Hirci sanguis* juxta *Helmontii* mo-

dum

dum præſcriptum collectus ad *impotentiam virilem*, quia ſanguis ille è *genitalibus* Hirci abſciſſis ſeparatur. Et ita notavimus quasdam ſpecies, quæ præſenti conſiderationi reſpondent, quarum plures in reliqua Materiæ Medicæ evolutione occurrent.

§. XXI.

Suppeditat porro anſam de *infallibilitate* Materiæ Medicæ *dubitandi* & contra *miraculoſas* diverſas laudes excipiendi, quod diverſæ ſpecies ſimplicium ſubjectorum ad *generales* uſus extendantur, quæ tamen hactenus non niſi ſub *ſpecialioribus* circumſtantiis in foro & *uſu medico* utiles & probatæ deprehenſæ ſunt; quo ipſo merito taxanda eſt nonnullorum *inſatiabilitas*, qua cum *ſpecialisſimis* ſalutaribus effectibus haud contenti eſſe obſervantur, quare *ultra metam* & ſolidam atque probatam *experientiam* remedia illa protrahunt, ſed eo ipſo ſub tali *diffuſa* illorum remediorum applicatione *ſpecialioris* ſalutaris effectus *obliviſcuntur*: Dolendum ſane eſt in noſtra Materia Medica, quod *promiſcue* de qualibet ſpecie tam *numeroſæ* laudes & virtutes prædicentur, ubi ipſa talis *frequens* & in quolibet ſubjecto obvia *multitudo* encomiorum *reliquam* commendationem *dubiam* reddit: Optandum vero viciſſim eſſet, ut quælibet ſpecies *dimidiæ* tantum partis Materiæ Medicæ *fidam* & certam imo ſufficientem efficaciam *medicam* habeat; ſed proh dolor! *plurima* pars ſpecierum illarum *dubiam* admodum efficaciam *vere* medicam habet: Et ut præſentis conſiderationis unam vel alteram ſpeciem & exemplum producamus, provocamus mox ad famigerata illa exotica *Antivenerea*, Saſſafras, Sarſaparillam, Guajacum, Chinam, quarum ſpecierum virtus in affectibus Venereis & quotquot alii cum *hiſce propiorem* affinitatem habent, *ſatis* probata eſt: Sed quem noſtrum latet, quod non *ulterius* hæ ſpecies ferme in quolibet humorum *dyſcraſia*, *Acrimonia*, *depravatione* & *impuritate* ſic dicta *Scorbutica indiſcretim* ſub nomine &

G cha-

charactere sangvinem *depurantium* auxiliorum, adhibeantur! Neque hoc tantum, sed in quot non casibus remedia illa ad *correctionem impuritatis* humorum & ominosæ illius acrimoniæ *obtruduntur*, ubi *vera* tamen talis dyscrasia *deest*; hinc quidam sperant cum iisdē *spasmos*, alii *Febres*, nonnulli affectum *Hypochondriacum* curare & fugare, sed quo *successu* atque *eventu*, judicet *attentus* arbiter: Vicissim dantur etiam variæ species, quæ *particularem* efficaciam habent pro *lentescente* humorum spissitudine, imprimis *mucido*-serosa colliquanda & *resolvenda*, ut sunt Allium, Porrum, Cepæ, Arum, Piper, Zingiber, Zedoaria, quæ species vero mox ad omnem *spissitudinem* indifferenter commendantur, inde ad *obstructiones* laudantur & in genere ad affectus *Hepatis*, *Splenis*, *Pectoris* ordinantur, cum tamen hæc commendatio cum necessaria *discretione* perficienda esset, quoniam *universales* illæ ordinationes multis *sinistris* usibus & effectibus causam dant: Ita etiam comparatum est cum famosis *Antiscorbuticis*, ut Fumaria, Beccabunga, Nasturtio, Trifol. Fibr. Scolopendrio, Piperitide, Thlaspio, &c. quæ singula in *lentescentem* illam spissitudinem Scorbuticam efficaciam suam dimittunt; sed quem quæso latere potest, quam *diffusa* sit harum specierum *applicatio*, cum hodienum Scorbutus tam *frequens* malum esse *credatur*, quare sæpe *indiscretim* ad affectus *Hepaticos*, *Spleneticos*, *Hæmorrhoidales*, *Hypochondriacos*, *Arthriticos* aliosque *Spasticos*, *congestorios* &c. collaudantur: Quando species *emollientes* ad tenaces & *viscidos* tantum humores leniendos & *lubricandos* prodesse dicuntur, quis non mox perspicit illum *abusum*, quo emollientia *indiscretim* ad affectus *Pectoris*, *undecunque* venerint, ad *Asthmata*, *Pthisin* &c. commendantur, qui abusus deinde *multorum damnorum* causa evadit: Quando de Angelica, Carlina, Contrayerva, Imperatoria, Petasitide, Galanga, Zedoaria, Valeriana dicitur, quod *potenter* humores resolvant & seri evacuationem *Diureticam* & *Diaphoreticam* provocent,

quis

quis est, qui nesciat, quomodo hæ species magnis titulis, ut egregia *Bezoardica*, *Antifebrilia*, *Alexipharmaca*, *Antidotalia*, *Cardiaca*, *Malignitati* resistentia. &c. declamentur, ut ex hisce & pluribus aliis speciebus mox inclarescat, quam male *speciales* utilitates ad *generales* usus extendantur, quæ *digressio* non nisi multarum *confusionum* & *fallaciarum* causa esse & fieri potest; qui *error* propterea in Materia Medica sedulo *evitandus* aut *emendandus* est, tanto magis vero quia ita *familiaris* esse deprehenditur: Ut nihil de remediorum sic dictorum *specificorum* usu dicamus, ubi v. g. specifice *adstringentia* & *certas* Hæmorrhagias cohibentia, mox pro *universalibus* applicationibus adhibentur, ubi hoc loco appellatio *universalis* usus etiam ad applicationes restringi possunt, quæ *extra suam sphæram* suosque limites decurrunt.

## §. XXII.

Et heu! quam *evilescit* auctoritas & *dignitas* Materiæ Medicæ, quando perpendimus, quot non *vilissimæ* maximeque *debiles* species *indiscretis* laudibus exornentur & cum aliis *nobilioribus*, dignioribus & efficacioribus *pari* ferme gradu & *elogio* ad usus *medicos* commendentur: Exinde non exiguum *dubium* oritur, quod *certitudini* & integritati Materiæ Medicæ opponi potest: Et sane facile demonstrari posset, quod ad minimum tertia si non dimidia pars Simplicium *frustra* ad usus *medicos* transferatur, cum variæ aliæ species priorum vires, qualitates & probatas utilitates superent, ut itaque tanto apparatu *vilium & debilium* remediorum non indigeamus, cum *meliora*, *præstantiora* & utiliora prostent & constent: Neque etiam quemquam facile allicere debet *persuasio* illa, quam modo in superioribus taxavimus, quasi ne *minima* species *utilitate* sua careat, ubi non nisi *præcipitantiæ* fœtus esset, mox ad *utilitatem medicam* concludere, ac si applicationes omnium rerum *immediato* suo ordine ad *hominem* adstrictæ essent & non *ali-*

 *orsum*

*orsum* utilitatem suam transferant; quo merito adhuc dubitare licet, annon hujus vel alterius speciei efficacia adhuc *alia* sit, qua *aliarum* utilitatem superet, cum juxta communem commendationem ipsa ab aliis hac *salutari* efficacia longius *superetur*: Latissimus sane in hac consideratione patet campus in varias species circumspiciendi, quare præsentem animadversionem uno alterove exemplo illustrare volumus: Cui quæso usui inservit *Radix Armoraciæ* exsiccata, quæ ut *exsucca* nullam notatu dignam utilitatem promittit: In quantum speciosæ illæ laudes de *Radice Acetosæ* propositæ præ aliis speciebus utiles deprehenduntur? Quanta est illius virtus *Hepatica*, *Antiscorbutica*, *Antifebrilis* &c. Quanti valoris sunt *Radices quinque Aperientes* & quam bene atque *efficaciter* aperiunt, ut non aliæ species quoad hunc effectum *longe* præstantiores sint? Quo *Anchusæ Radix* inserviet? Quid *Betonicæ* Radix efficiet? Quid commodi afferunt Radices *Behen*, *Borraginis*, *Buglossæ*, *C.B. Rhapontici*, *Cervicariæ*, *Cynoglossæ* &c. &c. Quid & quantum *salubritatis* promittunt Herbæ Acetosæ, Endiviæ, Lactucæ *siccæ*, aut Aquilegiæ, Atriplicis, Bistortæ, Borraginis, Bryoniæ, Buglossæ, Calendulæ, C. M. Cichorii &c. Ita ut non *meliora* & *efficaciora* talia occurrant Remedia? Quantum fidere licet Floribus Agni Casti, Amaranthi, Aquilegiæ, Borraginis, Buglossi, Cichorii, Cynosbati, Fabarum, Primulæ Veris, Salviæ, Fumariæ, Nymphææ, Tunicæ, Pœoniæ, Saxifragiæ &c. quantæ dignitatis & utilitatis sunt Semina Absinthii, Acetosæ, Agni Casti, Angelicæ, Aquilegiæ, Asparagi, Berberis, Bombacis, Brusci, Cannabis, Chærefolii, Ciceris, Cichorii, & omnia majora & minora *Refrigerantia* &c.? Cui bono allegantur Cort. Avellanarum, Juglandium, Castanearum, Berberis, Betulæ, Tiliæ, Guajaci, Lauri, Limonii &c. quam fructuosi sunt illi *pretiosi* & *speciosi* lapides? Num respondebunt *suis laudibus*? Quid efficiunt Pennæ Perdicum, quid

Pili

Pili Leporum, quid telæ Aranearum, quid Pinguedines Cervi, Ursæ, Apri, Caponis, Anseris &c. *plus valebunt?* Aut in quantum suis elogiis ipso effectu satisfaciunt, ut non *simpliciores* species vel *idem*, vel *adhuc plus* efficiant? Et quantum suis titulis respondeant famigerata majora & minora Aperientia, *Cordialia* &c. dijudicent illi, qui in rebus naturalibus *non creduli* sunt, neque *præmature* fidunt, sed vident & condigne *observant* an *effectus* quadret *commendationibus:* inveniet certe ingenuus scrutator eximium numerum talium specierum, quibus sine ullo *damno* Materia Medica *carere* posset, ad minimum *occasio* inde patebit, quo *aliæ* utilitates talium specierum inveniantur, quam quales *hactenus* de iisdem peroratæ fuerant: Ita eveniet, ut non modo Materia Medica magis magisque *repurgetur*, sed & *utilioribus*, melioribus & *certioribus* auxiliis in gloriam altissimi & proximi commodum locupletetur: Hucusque vero eximius *inutilium* specierum numerus illam suppellectilem Materiæ Medicæ inquinavit.

§. XXIII.

Quid porro dicamus de talibus speciebus, quibus ex nuda *æstimatione vulgi* certæ laudes & *utilitates* adscribuntur: Sane hæc etiam consideratio eo inservit, quo Materiæ Medicæ *incertitudo* ex parte detegatur & demonstretur, adeoque *dubia* quædam *contra* illius *infallibilitatem* moveantur: Loquimur vero hoc ordine de illis remediorum laudibus, quæ tantum aliqua *personali æstimatione* nituntur, in quo *præjudicio* etiam homines deprehenduntur, qui *supra vulgus* sapere volunt: Hæc *æstimatio* vero nititur vel *raritate* subjecti, ob quam singularis virtus & *utilitas* ab eodem expectatur, vel *nimio* illo *pretio*, quo tale subjectum comparatur, juxta illud dicterium was theuer ist, ist noch so gut: vel communi *distincta dignitate* & nobilitate, qua novum subjectum præ altero prævalere conspicitur: Vel *externo*

 pul-

pulchro adſpectu, *nitore*, ſplendore aliaque *admirabili* conſtitutione vel ſingulari *colore*, *odore*, *ſapore* aliaque qualitate, qua unius vel alterius *ſenſui* & *captui* ſatisfacit & arridet: Vel *curioſitate* dum remedium tale ad hoc vel aliud compoſitum ſingularis *gratitudinis* & *amœnitatis* contribuit damit man ſich in Aſſembléen recommendiren kan, ut ſunt Pulveres ſternutatorii, Cephalici, Suaveolentes, Dentifricii, remedia coſmetica, & pro conciliando ſuaveolente halitu idonea, pro acuendo viſu, pro confortandis ſpiritibus Animalibus, pro perfumandis veſtimentis & chirothecis, pro præſervanda omni malignitate, pro adjuvanda dentium integritate & juxta aliorum hominum conditionem weiß, rother, blauer Schnup-Toback. Sal volatile, Fleck-Kugel, Mandel-Saiffen, Schminck-Läpgen, Haar-Poudre, und eine approbirte Wurtzel wider die Hexen, Alpen, Drachen, und böse Nachbahren, wider das Beſchreyen der Kinder, & quæ hujus ſortis ſunt alia: Non æque arduum erit, quo ex ipſa Materia Medica *teſtimonia* proferamus, ad minimum hoc loco *ipſam rem* indicavimus, quod enim *raritatem* concernit, quem latet in quanto honore vulgo *exotica* remedia conſiſtant, quæ propterea mox *aliis præferuntur*, quoniam non in cujusvis *notitia* ſunt, ſubinde etiam à tam *diſſitis* locis conquiruntur & obtinentur, de qua conſideratione mox ſeorſim adhuc dubia noſtra proponemus: Quod *nimium pretium* diverſorum ſubjectorum attinet, tunc ob commune ferme ſuffragium provocamus in quanta æſtimatione *lapis Bezoar* verſetur, ut propterea *Auro* circumductus & *aurea catena* detentus de *collo* ſuſpenſus & in *ſcrobiculo* cordis hærens, *Cor* ab omni *contagio* & *Malignitate* præſervare debeat: Quod etiam valet de plurimis *Gemmis*, quibus utplurimum ob *plebejam* talem exiſtimationem *eximiæ* quædam virtutes adſignantur: Quod *commune* ſubjectorum *diſcrimen* reſpicit, tunc ſatis cognita res eſt, quantæ

lau-

laudes *Auro* & *Argento* adſcribantur & quæ non miraculoſa de *Bezoardicis* Tincturis aliisque compoſitionibus *Solaribus* & *Lunaribus* circumferantur & promittantur: Utinam etiam ſuis *promiſſis* reſponderent: Idem etiam valet de bene *coloratis* ſubjectis, hinc *rubicundis* ſubjectis *tantæ* virtutes imputantur, quia vulgo *phantaſiæ* humanæ ut remedia *ſanguini* & *cordi* magis proficua commendata ſunt: De qua animadverſione in ſuperioribus actum fuit, inde ad morbos cum *rubicundis phænomenis* ſeſe prodentes, rubicunda ſubjecta commendantur: Hinc profertur *Jaſpis* cum punctulis *rubicundis* conſperſa, quando *Hæmorrhagias* compeſcere debet: Ex eadem phantaſia utplurimum *ſuaveolentia* titulo *Nervinorum* ſalutantur: Cum tamen certum ſit, quod *tot* ſint *ſenſus*, *quot* ſunt *capita* & experientia abunde doceat, quam *ſæpe* Nervina, Cephalica & Spiritus reficientia, exhilarantia, illuminantia, ſerenantia *contrarios* effectus edant: Id quod etiam de *Sapidis* dicendum atque inculcandum eſt, qua occaſione tantum *acidorum* reminiſcimur, quibus plenis ferme buccis & ſatis ſæpe ſine *ullo diſcrimine* virtus *Antifebrilis*, utilitas ad *ſitim* fallendam & mitigandam adſcribitur: Sed quo usque hæc laus applicari debet & poteſt, obſervent aſſidui indagatores: Dies diem docebit & inculcabit, quam ſæpe in hisce laudibus *Materia Medica dubia* & *incerta* exiſtat.

§. XXIV.

Neque infimi momenti illa conſideratio eſt, quæ ad deſtruendam *infallibilitatem* Materiæ Medicæ inſervit, quod diverſis ſpeciebus *occultæ* plane & interdum *ſupernaturales* quaſi vires imputentur & huc certo reſpectu famoſæ illæ *Mumiales* & *Magneticæ* qualitates merito referendæ ſunt, quibus ipſis proinde homines *creduli* & *ſuperſtitioſi* captantur, adeoque *antiquæ* quædam *fabulæ* ſemper propagantur: Et hæc ipſa etiam animadverſio ſubminiſtrat non exigua *dubia*

*bia*

*bia vexata*, quæ Materiam Medicam premunt, ut proinde necesse sit, quo has *quisquilias* repurgemus & ad *solidiora* & *certiora* animum applicemus: Quis enim ita credulus sit, ut sibi persuadeat, quasi *diabolus* certos *odores* aut *fætores* aut certas *Herbulas* aut *Radiculas* perferre nequeat, consultius, imo *magis certum* & probatum est diabolum *spiritualibus* adminiculis & armis avertendum & expellendum esse: *Arma enim* juxta *Apostolum 2. Cor. 10. vers. 4. militiæ nostræ non carnalia sunt, sed divinitus valida &c. Conf. Eph. 6. vers. 12-17. Jac. 4. v. 7.* quot *cacodæmones & diabolicas potestates* exulerunt Marrubium album, Ruta, Verbena, Adianthum, Hypericum, Antirrhinum, Quercus, Taxis, Paris, Abrotanus, Artemisia, Plantago, Filix &c. Quanti *valoris* est famosa illa *Radix Victorialis* & *Asa fœtida*, quid efficiet *Mastix* & *storax*: Sane qui cum ejusmodi subjectis *dæmones fugare* vult, *frustra* vires adhibebit, nisi dæmon *naturalis* fuerit: Interea etiam ejusmodi *vanæ* & *plebejæ* laudes, quæ in *Materia Medica* de talibus speciebus occurrunt, tanto magis *credulos* & *superstitiosos* homines *seducunt* & in *errore* suo confirmant, ut tam frequenter *veneficia*, *imprecationes* & *incantamenta* accusent, licet *causæ* sint simplicissimæ *naturales*; & dolendum certe est, quod ipsi etiam *medici* in tali *errore* hæreant & ex *falsa* & *dubia* Materia Medica talia auxilia hauriant, commendent & propagent; hi sane per *Beelzebulem*, nimirum per *superstitionem*, ejiciunt *dæmonia*. Quod vero *Magneticas* & *Mumiales* virtutes attinet, quæ interdum etiam circumferuntur, tunc cum *Garmanno de Mirac. Mort. Lib. I. Tit. II. §. 29.* dicimus: *Magnetismus ille mumialis otiosi cerebri est commentum, è lacunis Paracelsicis haustum:* Certe, quando medici virtutes *Mumiales* allegant, *magnalia* proferunt *verba*, sed *steriles* & jejunas *res*, quæ in attenta experientia abunde probantur ut *entia rationis*: Idem valet de *Amuletis* sive *Periaptis*, *Characte-*

*racterismis*, *Sigillis* &c. quibus juxta *Paracelsi* fabulosam persuasionem & *superstitionem* varia *eximia* virtus medica adscribitur, quæ inter alios taxat *Rejes Camp. Elys. Quæst.* 23. hinc *modo Ungula Alcis*, modo *Cranium Humanum*, modo hæc aut alia Herba aut Radix ad Epilepsiam, Febrem, Odontalgiam, Paralysin &c. commendatur & in leviori malo nonnunquam accidit, ut *imaginatio* illud sit medium, per quod *salutaris* & speratus effectus impetratur: Inde etiam evenit, ut si alicui interdum *sterile* tale *arcanum* manifestatur, ipse suam *credulitatem* & simplicitatem *subrideat*: Interea ad minimum diversis talibus laudibus in Materia Medic[illegible]bviis, circumstantia illa apponenda esset, quod hoc vel illud remedium requirat homines & *imaginatione* præcipites atque contumaces & *sensibilitate* atque *credulitate* faciles & promtos: Quo loco vero minime iterum *omnia* Amuleta contemnimus, sicut quædam etiam manifesta *physica* causandi ratione conspicua sunt, ubi neque *occulta* aliqua vis, neque *imaginatio* accusari debet, quemadmodum *Camphora* in Nucha gestata, aut *recentes* quædam Herbæ contusæ & *appensæ* aliquam utilitatem afferunt; sed præstat omnino in *discernendis* hisce subjectis *prudentia* uti, ne Materia Medica vanis *persuasionibus*, anilibus *superstitionibus* & ludicris *credulitatibus* dehonestetur & infirmetur.

§. XXV.

Multum præterea ad demonstrandam Materiæ Medicæ *incertitudinem* & *dubia* contra illam exponenda contribuit, quod non exiguus numerus specierum ad Materiæ Medicæ suppellectilem spectantium *ultra modulum*, *mensuram* & *sphæram* commendetur & dum talia remedia ad effectus *quosdam salutares* proficiunt, *insatiabili* quodam pruritu *laudandi*, adulandi & commendandi ad *multiplices* alios usus ordinentur, in quibus tamen effectus *promissos* & *speratos* rarissime edunt, adeoque *dubiam* reddunt Ma-

 teriam

teriam Medicam: Etenim interdum contingit, ut laudes tales *extendantur* & augeantur ob *incongruam* & inconvenientem *ſpeculationem*, quando quidam ſibi *cauſas* fingunt, ſecundum quas commendatum remedium probatum ſuum *effectum* exſerere creditur, deinde vero hanc cauſam *aliis morbis* affingunt, inde fluunt illæ *immaturæ* concluſiones, quod remedium tale non modo ad *priorem* morbum, ſed & ad *plures* alios conferat, ſecundum illud dicterium: Das Waſſer laufft den Berg hinan, cui reſpondent illi, qui meliora proferre volunt: Es iſt ſchon droben: Non parum etiam *detrimentum* affert Materiæ Medicæ in eadem circumſtantia, quando quidam *nimiis* laudibus in Materia Medica obviis *tam cito* ſubſcribunt & *fidem* dant; ubi quidem remedium quoddam utile & in *moderato* gradu *ſalutare* eſſe poteſt, licet non æque *tam eximias* laudes promereatur: Inde enim evenit, ut ſi pro tam *immenſe* ſalubri auxilio habetur, alii illud ad *omnes* affectus applicent & ex *præmatura fiducia* uberioribus laudibus exornent: Inde emergunt eadem fata, quæ novæ relationes patiuntur, quales ſi *à tertio* aut *quarto* enarrantur, longe *meliores* vel *deteriores*, communiter vero longe *auctiores* exiſtunt, v. g. Abſinthium, C.B. Centaurium minus efficaciter abſtergunt primas regiones, ergo curant Febres Intermittentes, ergo aperiunt Hepar & Splenem proptereaque ſunt Antiſplenetica, Antimelancholica &c. remedia, ergo Hydropi medentur, Scorbutum fugant, ebrietatem arcent, Podagræ reſiſtunt, dum Acidum Hypochondriacum & Tartareum attenuare & expellere dicuntur: Sed *quoties* hæ concluſiones ut *veræ* & *probatæ* repertæ ſunt? Et *quantæ* non virtutes de Agarico vulgo prædicantur, qui cum ad *ſpiſſam* mucoſitatem evacuandam confert, inde mox ad Epilepſiam, Paralyſin, Vertiginem, Apoplexiam, imo effectu Alexipharmaco commendatur: Cum fructus Alkekengi *Diuretica* qualitate

præ-

prædit us deprehendatur, mox eidem virtus Lithontryptica, Antiscorbutica, Antihydropica, Antipodagrica &c. imputatur: dum Angelica admodum *calefacit*, *impellit* & resolvit; ita mox ad Pestilentiam, ad Pectoris morbos, ad Morsus Venenosos &c. laudatur & quemadmodum tantum *aliquot* Specimina produximus, ita multa adhuc occurrent in ulteriori perlustratione Materiæ Medicæ quæ propterea necessaria tali *emendatione* indigebunt, ne quis *nimis multa* sibi promittat de *absoluta certitudine* encomiorum in Materia Medica obviorum, sed quo vicissim *intra limites* probatæ *experientiæ* quisque permanere queat, neque in sua *spe* & *fiducia* eludatur, alias perpetuum erit hoc, quod deploramus Materiæ Medicæ *dubium*.

§. XXVI.

Magno itaque in Materia Medica *judicio* & eximia *circumspectione* opus est, nam qui *facile credit*, *facile decipitur*, & quidni etiam *ambiguitatem*, *incertitudinem* & *dubium* statum Materiæ Medicæ confirmet communis & notorius ille *dissensus*, qui in *commentariis* Materiæ Medicæ occurrit, qui multos *imitatores dubios* & *meticulosos* reddit, dum *hic* auctor aliquam speciem ad certum affectum admodum *laudat*, *alter* illam valde *damnat*: utri itaque *credendum* sit, multi *ambigunt*: In quo dubio casu justum illud consilium Apostolicum damus: *1. Thessal. 5. vers. 21.* *Omnia probate sive explorate & quod bonum fuerit retinete*: Hæc exploratio vero & *ratione* & *experientia* fieri debet: Ratio sit *integra* & à *speculatione* & inutili *curiositate* aut *subtilitate* & *obscuritate* libera; *experientia* vero sit *circumspecta*, *dextra*, *sufficiens*, *constans* & *ordinata*: Sic apparebit quid verum, quidve falsum sit: Etenim sæpe utiles res *damnantur* & contemnuntur vel ex nudis *præjudiciis theoreticis*, vel ex aliqua *invidia* & odio, ne eædem *emergant*, sed mox supprimantur: Interdum etiam *utiles* substantiæ rejiciuntur

quoniam eædem sub incongrua & *amethodica* applicatione *speratum* & promissum effectum *non* præstiterunt, aut quoniam non *confestim* suam efficaciam probarunt: Etenim multa *impatientia* ingenia inter medicos & ægrotantes occurrunt, quæ ni *repentè* adhibitum remedium *promissum* effectum exserat, mox *desperant* & sub maxima *inconstantia* ab *uno* ad *alterum* fugiunt atque properant & *in nullo* certitudinem firmam acquirunt: Hinc semper ita *dubia* & desolata permanet Materia Medica: Contra vero irrita interdum *minusque* secura remedia *eximiis* laudibus efferuntur, quoniam *repentinum* & illum quidem promissum effectum exhibent, qui cum ita *extemperaneus* sit, & in *crassos sensus* incidat, hinc præ aliis statim vehementer commendantur: Ubi interdum neque medici neque patientes *attendunt*, *an* etiam talis *repentinus* effectus *securus* & probatus sit, *an* non *graviora* mala *consequantur!* Modo de præsenti juvent! daß der Medicus nicht in Lügen stecken bleibe. Sane malum omen est, si medici *velocem* & *infallibilem* opem promittunt, quam *sibi solus* reservavit *Salvator*, quando dicit: Abi, filius tuus vivit: Neque enim *arcana* amplius est methodus per *adstringentia* & *Narcotica* remedia in multis casibus *cito* Pathemata illa subjugare, quæ *suspecta* sunt & in *sensus* incidunt; Mallem equidem *successive*, sed *è fundamento* atque *tuto*, quam *cito* & tantum *palliativè* minusque secure curari: Hinc male talia remedia *posterioris* indolis tot *encomiis* exornantur & priora mox rejiciuntur & exploduntur: Ob id in *explorandis* talibus commendationibus *judicio* opus est, licet in Materia Medica tam *magnus dissensus* occurrat, quin meretur etiam providam *attentionem* in assumendis illis *testimoniis*, quæ vulgo in Materia Medica occurrunt; etenim quædam laudes remediorum & Simplicium *bona fide transcribuntur*, sed sæpe *nulla ulteriori* experientia aut applicatione *confirmantur*;

*tur*; unde digna, utilis & *necessaria* omnino erit illa *industria*, quando commendata quædam simplicia *ulterius probantur* & denique *approbantur*, neque sub *cæca* tali fide sine ulteriori experientia ordinantur & laudantur: Nam pruritus ille *transcribendi* in Materia Medica valde *familiaris* est: Præstat rectius bene *observare* & *dijudicare*, à quibus remedia illa adhibita fuerint, in quo *subjecto*, *morbo*, *morbi statu*, *ordine* &c. laudatum illum *effectum* præstiterint, ita eveniet, ut non *verbis*, sed *factis*, *effectibus* & *usibus* fides danda sit, eoque ipsa Materia Medica ad *majorem certitudinem* & utilem *selectum* perveniat, adeoque à *dubiis vexatis* magis magisque repurgetur.


§. XXVII.

Adhuc unicam adjiciemus animadversionem, quam brevissimis in *præcedentibus* tetigimus, quæ ipsa etiam occasionem *dubitandi* & incertitudinem Materiæ Medicæ accusandi, præbet; videlicet *hodierni* hominum mores per magnam *luxuriem nova* affectant, neque cum illis *contenti* sunt, quæ *ante pedes* nostras versantur, unde à *dissitis* locis *operose* & *pretiose* variæ species transportantur & stupendis *panegyris*, ut *novum* quid, exornantur. Quidquod dantur ingenia, quæ primario hisce *novitatibus* & *curiositatibus* immersa reperiuntur, quare de *novis* suis subjectis *nova lingua* differunt, sed eo ipso *antiquam veritatem* admodum celant & fugiunt: Quapropter tot *exoticæ* species hodienum Materiæ Medicæ *insertæ* conspiciuntur & tam *stupendæ* laudes de iisdem declamatæ leguntur, ut facile quisquam *nostram* tellurem valde *infelicem* æstimaret, sed *extranea* talia subjecta, ut *speciosa* & *pretiosa* præferret: Quare recte exclamat *B. Ludovici Dissert. I. de Select. Rem. cui bono tot Exotica? quorum æquipollentia, nisi validiora sæpe passim nobis præ foribus nascuntur:* Sane benignissimus creator *omnem* tellurem ita *largiter* instruxit, ut vix aliqua

*penuria* aut defectus quidam percipiatur, modo etiam in *hisce* rebus, quas *nostra* subministrat tellus, *major* & *solidior* observatio instituatur. Sed proh dolor mens humana mox in *alia* & *aliena* ruit & quæ *domestica* sive inquilina sunt, ut *vilissimum* panem spernit adeoque *peregrina* desiderat: Haud vero *omnem* exoticorum usum improbamus, sed tantum *communem* illam *luxuriem* reprehendimus: Quidquod meritò *dubitamus*, an singula illa exotica, quæ *magno* satis numero prostant, etiam in *genuinis* & *natalibus* suis locis *utilitatem* illam habeant, quæ vulgo de iisdem *de-* & *transcribuntur*: Tanto magis *justa* erit *dubitatio*, an etiam in *nostris nationibus* easdem utilitates sint præstitura: Enim vero nobis *valde fallax* videtur illa conclusio, quasi una aut altera species *easdem* virtutes habeat in *Europæis*, quas in *Afris*, aut *Americanis*, aut *Persis*, aut *Chinensibus* aut exterarum *Insularum* incolis exserit: Differunt enim *nationes*, *naturæ*, *sensibilitates*, *diætæ*, *vitæ genera*, *robur* corporis & naturæ, propterea *differunt* etiam multi *speciales affectus*: Ländlich, sittlich, commune est proverbium, quod huc etiam quadrat: Quare & *juvantia* & *nocentia* inter se confundenda *non* sunt. Quantæ quæso non utilitates de Radice Gensen, Ipecacuanha &c. referuntur & promittuntur; sed *ubi* testimonia ex experientia petita, quæ justa nostra dubia penitus dissolvunt? Ni per fragmenta *æquivocæ* quædam laudes recenseantur: Non vero propterea *absolute* exoticis suam *utilitatem* denegamus, quod citra experientiæ *vim* & *injuriam* committere non possemus, sed dubitamus tantum de *illis testimoniis*, quæ interdum *ambitionem* pro *fundamento* habent, dum *curiosum* esse videtur, de rebus *extraneis* tam *promte*, tam *speciose* & tam *pompose* disserere posse; aliquando etiam *philargyria* nititur, ubi species quædam pro pecunia *lucranda* laudantur & commendantur: Sed ne in plura dubia nos immisceamus, pro

*secu-*

*securiori* Materiæ Medicæ tractatione lectu & commendatu digna reperimus scripta *B. Ludovici Pharmaciam moderno seculo accommodatam, Simonis Pauli Quadripartitum Botanicum, Pancovii Herbarium, Zornii Botanologiam Medicam, Rivini Censuram Medicamentorum Officinalium:* Plura hac vice addere non placet, licet quadantenus concessos limites *transgressi* fuerimus: *Augiæ* hoc stabulum est, cujus *repurgationi* non *unus* homo sufficit, interim hoc labore *vires* nostras *probavimus*, quo usque emendationi Materiæ Medicæ consulere queant. Deo soli, soli Sancto, soli Vero & Iusto devotissimas gratias pervolvimus, quod nobis in hoc labore adesse & adsistere voluerit: Huic hanc opellam consecramus & rogamus, quo eandem benedictione sua perpetua comitari & ad multos salutares usus promovere velit.



O Artis Medicæ cultores plaudite mecum:
Nam pater Hippocrates confert nunc præmia digno
Nato, qui peracri detexit acumine multa,
Quæ vestræ possent Medicinæ etiam superaddi,
Et qui tollantur defectus perbene tradit.

Qua-

Quare Pæonius cœtus nunc carmina cantet,
Ac felix, dicat, sit Filius Hic Medicorum.

*Hæc Nobilissimo ac Doctissimo Domino Endeler, Civi ac Amico suo Suavissimo de egregiæ eruditionis specimine gratulaturus adjecit ejus obstrictissimus*

**Gottfried Nasse,**
Bielfeld. Theol. Stud.

---



Ekrönt Hygea den mit einem Doctor-Krantz,
Bey dem ein kluger Witz, bey dem der wahre Glantz
Der edlen Weißheit wohnt, so ist gar leicht zu schliessen,
Herr Endler habe wohl den Krantz erlangen müssen.
Ich setze weiter nichts von seinem Ruhme hin;
Gnug, daß ich bey mir selbst längst überzeuget bin,
Man werde künftig schon in Seiner Praxi spühren,
Daß Ihn Verstand und Witz und wahre Klugheit zieren.
So nimm dann, Werther Freund / den längst verdienten Lohn,
Das Kleinod deiner Müh' itzt von Hygeens Thron;
Doch wisse: Wer sich läst Hygeen Kräntze schencken/
Dem pflegt die Venus auch ein Kräntzchen zuzudencken.

Hiermit *contestirte* seine aufrichtige *Amitie* gegen den Herrn *Candidat*en dessen ergebner Freund und Diener

**Johann Gottfried Kirchhoff/**
Bud. Lus. Med. Stud.

SIccine TE tanti ſtudii nunc ferre videmus
Præmia, quæ ſemper curas operasque ſequuntur.
Muneribus tantis ornatus Numine dante
Felix in patriam redeas, feliciter illic
Tracta, quam conſtat didiciſſe fideliter, artem:
Diſpellas morbos, ſerves qui corpore ſano,
Sis patriæ dulcis prægrandis honorque decusque.

Hisce Viro juveni doctiſſimo clarisſimoque & amico æſtumatiſſimo gratulabundus quævis bona fauſtaque apprecari volit

Franc. Nicol. Hoffbauer,
Stud. Jur. Bielf. Weſtph.

---

WAs jaget doch die Welt nach Ehre Lob und Ruhm;
Die wahre Ehre bleibt des Fleiſſes Eigenthum,
Sie pflegt ſich ungeſucht mit Wiſſenſchafft zu gatten,
Und folgt den Glantz der Kunſt wie ein beliebter Schatten.
Wer das nicht glauben will, ſeh' Dein Exempel an,
Das ihn, nach allen Wunſch hievon belehren kan;

Da Du die Wissenschafft mit Tugend hast verbunden
So hat freywillig sich die Ehre eingefunden.
Nimm denn, Geehrter Freund/ den edlen Purpur hin,
Ich wünsche Glück dazu mit einem frohen Sinn,
Der Himmel segne stets Dein löbliches Bemühen,
So wird Dein Ehren-Krantz zu keiner Zeit verblühen.

Mit diesen wenigen hat seinem Werthestem Freunde zu der längst verdienten Doctor-Würde schuldigster massen gratuliren wollen

F. C. Hoffbauer,
Stud. Jur. Bielf. Westph.

---

EN! ENDLERE, dies albo signanda lapillo,
Ecce! dies secum gaudia multa ferens.
Lætus Apollo tibi quâ nectit Laurea serta,
Et tua sacratâ tempora fronde tegit.
Hic virtutis honos, hæc præmia vera laboris,
Hæ sunt asiduæ sedulitatis opes.
Perge, tuis adsit cœptis clementia cœli,
Et te multiplici prosperitate beet.

*Gratæ recordationis ergo, pauca hæc, gratulabundus adjecit*

David Godofr. Kletschke,
Züllich. Siles. Med. Stud.

Wer

WEr Kunst und Wissenschafft von zarter Kindheit liebt,
Und bey den Jahren sich in selben emsig übt;
Dem wird die süße Frucht, die Fleiß und Mühe träget,
Ich meyne Ehr und Ruhm mit rechte beygeleget.
An Sie **Hochwerthester**, trifft man ein Muster an,
Da Sie Minervens Dienst, von Jugend zu gethan,
Und mit Begierd und Lust Hygeen nachgegangen,
Daß Sie nun höchst verdient den theuren Lohn erlangen.
Ich gratulire Sie, nach meiner Schuldigkeit,
Zu diesen hohen Ruhm, und wünsche, daß die Zeit
Sie noch weit mehrers Glück, und grössere Ehre gönne,
Daß man bald wiederum, Sie gratuliren könne.

Mit diesen wenigen wolte seine Schuldigkeit
observiren ein ergebener Freund und Diener.

Johann Heinrich Otto,
Büd. Luf. J. U. St.

---

WJe! **Hochgeehrter Freund** kanst Du schon Früchte zeigen,
Da ietzt die Pflantzen erst in Hoffnungs-Blühten stehn?
Dein Fleiß will die Natur im Wachsthum übersteigen:
Die Erndte scheint bey Dir im Frühling anzugehn.
Nimm dann den Purpur hin, den Lohn gelehrter Mühe,
Der kein unwürdig Haupt mit seinen Glantze ziert.
Ich wünsche daß Dein Fleiß viel Segen nach sich ziehe:
Es werde mancher Fuß durch Dich der Grufft entführt.

Mit diesem wenigen hat seinen werthgeschätzten Freunde zu der rühmlichst erlangten Doctor Würde seine gehorsamste gratulation abstatten sollen.

E. H. Alemann,
SS. Th. Stud. Bielfelda Westphal.

Qui

QUi bene cœpit opus, feliciter atque pergit,
Hunc ſophies merito digna brabea manent.
Hoc, ENDLERE, Tibi cœlo quia contingit almo,
Doctoris titulus gratulor hiſce, novum
Incipe nunc Praxin parili cum Numine Doctor,
Pluribus vt per Te vita ſit atque ſalus
Spiritus & Domini, ſine quo ſunt irrita cuncta
Arte ſalutari dux velit eſſe tuus.
Sic bene cedet opus ſaltem, ſi feceris omne,
Quod fuit in Medico, gloria finis erit.

*Ob aſſecutos ſummo: honores Prænobiliſſ. Dn. ENDLERO ex animo fauſta beataque cuncta adprecatur eius nominis Cultor.*

Juſtus Iſrael Clauder,
Bielf. Weſtph. L. L. ST.

---

HAt meine Pieris ſich jemahls unterſtanden
Und durch den ſpröden Kiel auf einen Verß gedacht
So iſt es jetzt geſchehn, da ſie ſich von den Banden
Die ihr die Schwachheit ſetzt erkühnent loß gemacht.
Allein welch Ungelück verſtöhrt den guten Willen?
Und welch Verhängniß bricht die Frucht in Blühen ab?
Durch welchen harten Schluß darf mir kein Wörtgen quillen?
Und welche freche That verbant ſie mir ins Grab?
Jedoch ich ſchweige nicht: Was ſteter Fleiß und Mühe
Dir heute wehrter Freund vor deine Dienſte giebt,
Darinnen lebe wohl in ſelben Wachß und Blühe
An der Gelehrſamkeit, und was dein Hertze liebt.

Dieſes ſchrieb wohlmeinend mit eyligſter Feder des Herrn Canditati ergebenſter Diener

Auguſtus Cunradi,
Med. Stud.